

UDK: 378.096(497.5)
Izvorni znanstveni rad

**FACULTAS THEOLOGICA CATHOLICA IN UNIVERSITATE
ZAGRABIENSI**

Brevis descriptio chronologica

Tomislav J. ŠAGI-BUNIĆ, Zagreb

Hodierna Facultas Theologica Catholica Zagrabienensis formari coepit anno 1633, quando ex donatione episcopi Zagrabienensis F. Erghely in Collegio Zagrabienensi Societatis Jesu incipiunt praelectiones ex Theologia morali (casuum). Ex donatione Magni Praepositi Capituli Zagrabienensis N. Dijanešević in eodem Collegio incipit a. 1662 Studium philosophicum. Imperator Leopoldus I diplomate regio concedit huic Studio seu Academiae iura et privilegia quibus fruuntur Studia Generalia et Universitates in Imperio Romano, quod a Dieta Regni Croatiae acceptatum est et confirmatum die 3. XI 1671. Philosophiam docent 3 professores, Theologiam moralem 2 professores; studio praeficitur professor Theologiae moralis. Successive instituuntur novae Cathedrae: Iuris Pontificii (1727), Theologiae scholasticae (ie. Dogmaticae speculativae: duo professores) et Theologiae controversisticae (1 professor) ex donatione canonici Th. Augustić et Capituli Zagrabienensis: anno 1746); cathedrae: biblica, linguarum hebraicae et graecae, hist. eccl. et sc. eloquentiae (3 cathedrae: anno 1771). Anno 1773, post suppressionem Soc. Jesu, ab imperatrice Maria Theresia Academia restructuratur in »Academiam scientiarum«, compectentem tres Facultates: Philosophicam, Theologicam et Iuridicam. Ab anno 1784, iussu imperatoris Josephi II, »Facultas regia theologica« pergit existere in structura Seminarii centralis Zagrabienensis. 19 X 1874 Facultas theologica, existens in Seminario Zagrabienensi, intret qua talis, sine mutatione, in Universitatem civilem Zagrabiensem, quae tunc formatur ex tribus facultatibus, theologica, philosophica et iuridica, quibus successive adiungenda erat nova Facultas medicinae. Facultas theologica existere pergit in aedificio archidioecetano Seminarii theologi, sine stabilita solutione pretii pro locatione ex aerario. Anno 1920 studium in Facultate protrahitur ad 5 annos. Anno 1935 (17. V) Ministerium Regni Jugoslaviae profert Constitutionem circa organisationem Facultatis, qua applicantur praescriptiones Const. apost. »Deus scientiarum Dominus« (ex anno 1931); studium in Facultate protrahitur ad 6 annos (respective 7 pro doctoratu). Ab anno 1928 aerarium publicum solvit pretium pro locatione spatiorum Seminarii qui inserviunt Facultati theologiae. Tempore belli secundi mundialis, anno 1942, incipit aedificatio aedificii pro Facultate, ex aerario publico Status Independentis Croatiae, sed area aedilitia donatur a Capitulo et Archidioecesi Zagrabienensi; a nova potestate communistica aedificium submissum est s.d. »nationalisationi«. 29. I 1952 Gubernium communisticum Reipublicae Popularis Croatiae supprimit Facultatem theologicam

qua partem Universitatis Zagradiensis, sed tradit eam cum omni inventario dioecesis linguae croaticae ut in posterum existat qua Facultas iuris exclusive ecclesiastici. Facultas tenet istud decretum administrativum Gubernii non solummodo iniustum, sed etiam invalidum, asserendo quod talis suppressio possibilis esset solummodo per legem in parlamento sicuti per legem in parlamento fundata fuerat. Facultas existere pergit in Seminario archidioecetano Zagradiensi et sustentatur a dioecesis et ordinibus religiosis linguae croaticae. 8. III 1974 S. Congregatio pro institutione catholica approbat nova Statuta Facultatis exarata iuxta praescripta documentum eiusdem Congregationis »Normae quaedam«. Die 23 Iulii 1990 novum Gubernium democraticum Reipublicae Croatiae declarat decretum suppressionis ex anno 1952 fuisse nullum. Die 26 Februarii 1991 Congregatio generalis Universitatis Zagradiensis, auctoritas suprema in Universitate, profert decretum quo declaratur: »Facultas Theologica Catholica Zagradiensis est membrum Universitatis Zagradiensis, et quidem in continuitate non interrupta ab erectione huius Universitatis usque nunc«.

Episcopus Zagradiensis b. Augustinus Kažotić Ord. Praed. (1303–1322) constituit Scholam Cathedralem pro formatione candidatorum ad statum clericalem.

Circa a. 1565 episcopus Georgius Drašković erigit Zagrabiae Seminarium iuxta praescripta Concilii Tridentini, cum Schola Capitulari.

Anno 1633 in Collegio Zagradiensi Societatis Jesu incipiunt praelectiones ex *theologia morali* (casuum) una cum parte iuris ecclesiastici, instante episcopo Zagradiensi Francisco Erghely, qui anno 1632 in hunc finem summam 1000 florenorum renanorum deposuerat. Clerici dioecetani frequentant praelectiones; primus professor fuit Gregorius Foetsch.

Anno 1644 incipiunt hebdomadales »casuum conferentiae« etiam pro auditorio publico zagradiensi.

Ab anno 1653 theologiam moralem docent duo professores (tunc Johannes Georgius et Bernardus Effinger).

Anno 1662 magnus praepositus Capituli Zagradiensis Nicolaus Dijanešević deposuit 4500 florenos pro sustentandis tribus professoribus philosophiae, honoratus proinde a Joanne Paulo Oliva praeposito generali Societatis Jesu titulo »Fundator philosophiae Zagradiensis«.

Die 6 Novembris 1662 incipit Studium philosophicum celebratione sollemni pro »Veni Sancte«. Anno sequenti locum habuit disputatio publica de thesibus typis editis »Prolegomena logicae«.

Anno 1665 4 alumni publice defendunt theses typis editas »Universae Aristotelis doctrinae«.

18 Novembris 1666 confectum est coram Capitulo Zagradiensi documentum publicum de fundatione studii philosophici triennalis (3 professores) donatore Dijanešević et obligationem assumente rectore Collegii Zagradiensis Georgio Habelić.

Anno 1667 in Collegio docent philosophiam 3 professores, theologiam moralem 2 professores; materias gymnasiales docent sex professores.

23 Septembris 1669 imperator Leopoldus I, Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae rex, petente Philippo Kaušić, Rectore Collegii Zagradiensis SJ, diplomate regio ratam fecit fundationem et erectionem Academiae ie. Studii philosophiae in Collegio Zagradiensi concedendo ei iura et privilegia quibus fruuntur Studia generalia, Academiae et Universitates in Imperio Romano et Europa.

3 Novembris 1671 in publicis Regni Croatiae Comitibus (Diaeta) diploma regium confirmatum est et acceptatum. Studium philosophiae exercent tres professores per tres annos, theologiam moralem duo professores per duos annos; professor theologiae moralis (casuum) exercet munus praefecti scholarum superiorum i.e. academicorum.

Anno 1727 incipiunt praelectiones ordinariae Iuris Pontificii, postquam dna Catharina Plemić, n. Bedeković Collegio in hunc finem 9000 florenos donaverat.

Mense Novembri 1746 incipiunt praelectiones ex theologia scholastica (2 professores) necnon ex theologia controversistica (1 professor). Donatores sunt can. Thomas Augustić et Capitulum Zagrabiense (15000 flor.). Studium theologiae durat 4 annos et habet 6 professores. Praemittitur studium philosophiae per 3 annos.

Anno 1771 accedunt 3 cathedrae (exigente imperatrice Maria Theresia), i.e. biblica, linguarum hebraicae et graecae, historiae ecclesiasticae et sacrae eloquentiae. Summatim: Studium theologiae in Academia Zagrabiensi complectitur a. 1791 9 cathedras: 2 pro theologia speculativa, 2 pro theologia morali, 1 pro iure canonico, controversia, S. Scriptura, linguis orientalibus necnon pro historia ecclesiastica cum sacra eloquentia.

Anno 1773, postquam Societas Iesu a Clemente XIV suppressa fuerat, decreto Mariae Theresiae Academia Zagrabiensis Societatis Iesu restructuratur in »Academiam scientiarum« complectentem 3 facultates: Philosophicam, Theologicam et Iuridicam. Facultas theologica habet 5 professores.

Anno 1784 imperator Iosephus II instituit Seminarium centrale in Zagreb et facultas theologica incorporatur tamquam »Facultas regia theologica« in structuram ipsius Seminarii.

Anno 1791 episcopus Maximilianus Vrhovac complet structuram studii in Seminario: clerici per duos annos frequentant studium philosophicum civile, per 4 annos incumbunt studio theologico in ipso Seminario.

Anno 1853, post infaustas experientias tumultuosi anni 1848, archiepiscopus G. Haulik, instituit biennium philosophicum in ipso Seminario, et sic clerici amplius non frequentant studium philosophicum civile. Studium philosophicum habet 4 professores. Studium theologicum stricto sensu durat quattuor annos.

28 Aprilis 1861 episcopus Stros Mayer deponit 50.000 florenos ut constituatur Zagrabiensis completa universitas.

Articulum legis quo Diaeta croatica decernit constitutionem Universitatis ex quatuor facultatibus, i.e. theologica, philosophica, iuridica et medicinae compositae, Imperator Franciscus Iosephus I confirmavit 8 Aprilis 1869. Die vero 5 Ianuarii 1874 confirmat articulum de constitutione Universitatis. Universitas formaliter incipit 19 Octobris 1874. Facultas theologica quae iam existit in Seminario una cum iam existente Academia iurisprudentiae incorporantur qua tales in pleno ambitu, Facultas philosophica incipit sectione philosophico-historica, Facultas medicinae fundanda desideratur. Facultas theologica habet 7 professores. Primum examen rigorosum pro laurea doctorali in theologia de facto peractum est anno sequenti 1875.

Facultas theologica sedem habet in Seminario archiepiscopali. Archidioecesis non exigit pretium conductionis pro locatione. Sumptus pro professoribus, supellectili et alios solvit Gubernium banale Croatiae. Seminario archiepiscopali solvitur determinata summa pro calefactione et purificatione spatiorum necnon pro servitiis

in Decanatu quae exercet servus ipsius Seminarii. Quae summa anno 1912 auge-
tur.

29 Maii 1918 Facultas Theologica movit apud Gubernium quaestionem aedificii,
»ut Facultas Theologica locetur sicuti decet unam Facultatem summae institutionis
scientificae«.

1918 cadit Monarchia Austro-Hungarica et constituitur novus Status: Regnum
Serborum-Croatarum-Slovenorum (Jugoslavia).

30 Maii 1919 pro labore scientifico in Facultate theologica promovendo instituun-
tur 6 s. dicta »Seminaria«.

1 Junii 1919 decanus Mihalovich urget apud potestates novi Status quaestionem
de decenti locatione Facultatis.

1923 gubernium incipit regulariter solvere Seminario archiepiscopali summam pe-
cuniariam pro usu aedificii Seminarii in fines Facultatis theologiae.

Consilio Facultatis in sessione **13 Novembris 1920** petente, cursus studiorum in
Facultate protrahitur ad 5 annos.

His annis postbellicis exurgit in Facultate crisis numerica auditorum ex qua oritur
timor ne Facultas a potestate supprimatur. Anno 1923 inscripti sunt soli 34 stu-
dentes (per 5 annos distributi), dum professores sunt 19. Facultas mittit (die 20
Februarii 1923) archiepiscopo A. Bauer preces ut ab omnibus Ordinariis linguae
croaticae obtineat ut omnes eorum clerici studentes iam in secundo semestri con-
centrentur in Zagreb ad studia in Facultate prosequenda ne Facultas pereat.

Anno 1927 voces de suppressione Facultatis ob parvum numerum auditorum pu-
blice prolatae sunt in parlamento in Beograd.

24 Ianuarii 1927 Facultas theologica (decanus dr A. Živković) dirigit Ministerio
pro instructione publica Jugoslaviae Memorandum quo reagit contra istas voces
publice prolatas; pro annis sequentibus praevideatur maior numerus, cum iam in
Zagreb Seminario puerorum cum gymnasio apertum sit in quo relative magnus
numerus alumnorum gymnasium frequentat.

26 Maii 1928 decretum Ministerii pro instructione publica Regni Serborum Croa-
tarum et Slovenorum, ut Rectoratus Universitatis Zagradiensis conficiat contrac-
tum cum Seminario archiepiscopali, quotannis prorogandum, de assumptione sta-
bili partis aedificii pro usu Facultatis theologiae.

17 Maii 1935 Ministerium pro publica instructione Regni Jugoslaviae profert
»Constitutionem Facultatis theologiae romano-catholicae in Zagreb et Ljublja-
na«: qua activitas Facultatis theologiae Universitatis Zagradiensis renovatur iuxta
praescripta Constitutionis apostolicae »Deus scientiarum Dominus« necnon adhe-
rarum Ordinationum (anni 1931). Studium protrahitur ad 6 annos, respective ad
7 pro doctoratu.

27 Maii 1937 (n. 1842/36) haec reorganisatio approbata est a S. Congregatione
pro Seminariis et Universitatibus, quae in litteris archiepiscopo Zagradiensi Ant.
Bauer de die 24 Maii 1937 laudes Facultati expressit pro felici exitu tractationum
cum gubernio in hac re.

Die 2 Junii 1937 Facultas (decanus dr J. Šimrak) interponit petitionem Ministerio
pro instructione publica Jugoslaviae ut pro anno 1938 praevideatur summa
11.000.000 denariorum pro aedificatione Facultatis Theologiae quia spatia in Se-
minario minime sufficiunt. Archiepiscopus A. Stepinac et Rectoratus Universitatis

Zagrabiensis coadiuvant istam petitionem. In novo aedificio locationem obtinere deberet etiam Bibliotheca metropolitana quae ita pro publico aperta esse poterit.

22 Martii 1938 Šimrak preces Capitulo Zagrabiensi dirigit pro donatione areae aediliciae in qua aedificium construi poterit. Varias tractationes annis sequentibus fiunt de locatione. Capitulum et Archidioecesis Zagrabiensis voluntatem donationis exprimunt, descriptio aedificii planificati facta est, sed ad ipsam constructionem non proceditur.

Postquam pars Seminarii incendio devastata est, Rector Seminarii K. Pećnjak die 27 Ianuarii 1941 certiores facit Decanatum Facultatis quod locatio Facultatis in aedificio Seminarii mox impossibilis praevideatur; constructio novi aedificii urgens videtur.

Die 19 Decembris 1941 Facultas (decanus dr G. Gračanin) interposuit Ministerio pro instructione publica novi »Status Independentis Croatiae« petitionem pro aedificatione novae Facultatis quia spatia in Seminario amplius minime sufficerent (praelectiones durant 6 annos, professores sunt 28, 14 cathedrae, 29 disciplinae, spatia pro seminariis simpliciter desunt, magnus numerus auditorum), immo nonnulla spatia essent periculosa ob vetustatem. Gračanin praevidet summam necessariam pro aedificatione 15.000.000 Kunas.

Capitulum Zagrabiense una cum Archidioecesi Zagrabiensi, petente Facultate, gratis donat aream aediliciam pro aedificio. Conventio facta est 26 Novembris 1942, cum insertione clausulae: »Donatores haec immobilia donant pro constructione aedificiorum pro Facultate Theologica Universitatis Croatiae Zagrabiensis. Ergo donatio facta est exclusive in hunc finem«, etc. Sic Facultas qua persona iuridica facta est proprietaria exclusiva; donatores in eventuali alio casu sua iura retinent. Valor doni aestimatus est 20.000.000 Kunas. Eodem anno 1942 aedificatio incipitur et anno 1944 quasi media pars aedificii perfecta est.

20 Iulii 1944 Ministerium pro instructione publica »Status Independentis Croatiae« profert »Praescripta de ordinatione necnon de ratione docendi et examinum Facultatis Theologicae Romano-catholicae Universitatis Croatiae Zagrabiensis«.

Bello secundo mundiali finito, Facultas in novo Statu »Foederativa Popularis Respublica Jugoslavia« respective »Respublica Popularis Croatia« prosequitur activitatem qua Facultas Universitatis Zagrabiensis etiam quod attinet ad res oeconomicas et financiaras.

Aedificatio Facultatis non continuatur. Immo cum fundamento in Lege de die **28 Decembris 1958** peracta est nationalisatio.

9 Augusti 1951 Consilium (ie. Ministerium) pro scientia et cultura gubernii Foederativae Popularis Reipublicae Jugoslaviae profert »Instructionem de examinibus pro doctoratu in facultatibus theologicis«, qua decernitur ut regulae de doctoratu theologiae praescribantur a Consiliis facultatum theologicarum et promotiones celebrentur in ipsis facultatibus.

19 Octobris 1951 Consilium Facultatis theologiae romano-catholicae Universitatis Zagrabiensis profert documentum »Regulae pro adipiscendo gradu doctoris theologiae necnon de examine doctorali subeundo in Facultate theologica romano-catholicae Universitatis Zagrabiensis«, quae Regulae confirmatae sunt a Senatu Universitatis Zagrabiensis die 3 Novembris 1951 (rescriptum Rectoratus sub n. 2770-1951 diei 3 Novembris 1951, subsignavit Rector dr ing. Franjo Bošnjaković).

29 Ianuarii 1952 Gubernium Reipublicae Popularis Croatiae decreto sub n. 1268/52 supprimit Facultatem Theologicam Romano-catholicam Universitatis Zagrabien-sis. Copiam decreti Facultas recepit die **1 Februarii 1952 hora 14**, transmissam a Consilio pro publica instructione scientia et cultura rescripto sub n. 1995/52 de die 31 Ianuarii 1952 (Cf. Documentum I). Ipsa die **1 Februarii 1952** Consilium Facultatis tenet sessionem extraordinariam ex qua voto unanimi mittit praedicto Consilio protestationem-petitionem ut praedictum decretum vigore privetur. Inter rationes expositas principalis est sequens: Gubernium qua tale non possidet potestatem iuridicam supprimendi facultates; Facultas Theologica fundata est et constituta *lege*, non potest supprimi simplici decreto potestatis *executivae*, sed *lege* (Cf. Documenta II, III, IV). Copiam documenti Facultas Theologica mittit Rectoratui Universitatis Zagrabien-sis cum precibus ut Universitas gressus faciat pro invalidatione decreti supradicti necnon ut res proferatur in sessione Senatus Universitatis.

Rectoratui Universitatis Zagrabien-sis decretum de suppressione Facultatis Theologicae a Gubernio non est missum neque ab Universitate quaecumque iudicium vel sententia de quaestione quaesitum, sive antecedens sive consequens.

Die 13 Februarii 1952 a Ministerio pro instructione publica (sub n. 2719-1952) missa est Rectoratui Universitatis *Instructio* pro executione decreti supradicti, iuxta quam Facultas Theologica die 30 Iunii 1952 cessat qua facultas Universitatis (Cf. Doc. IV).

In sessione Senatus Universitatis die **1 Martii 1952** facta est mentio quaestionis de suppressione Facultatis Theologicae sed res non est discussa nec petitio supradicta Facultatis Theologicae perfecta. Decanus enim Facultatis Theologicae V. Keilbach petiit ut discussio pro nunc differretur, cum in cursu essent tractationes de re inter Ecclesiam et Gubernium.

23 Aprilis 1952 Praesidium Conferentiae Episcopalis Jugoslaviae (sub n. 7/BK) certiozem facit Praesidium Gubernii Reipublicae Popularis Croatiae:

»1. Episcopatus decernit ut Facultas Theologica Universitatis Zagrabien-sis, tamquam a Sancta Sede canonice fundata Facultas cum iure ad gradus academicos conferendos, in novo anno academico 1952/53, incipiendo a die 1 Octobris 1952, pergat continuare cum propria activitate tamquam institutio religiosa **interdioecesa** omnium dioecesium Croatiae sicut etiam caeterarum dioecesium extra Sloveniam in territorio Foederativae Popularis Reipublicae Jugoslaviae, et quidem iuxta hucusque vigentem Rationem Studiorum et cum professoribus qui etiam usque nunc docebant«. Episcopi invocant art. 25 Constitutionis Foederativae Popularis Reipublicae Jugoslaviae necnon art. 26 Constitutionis Reipublicae Popularis Croatiae de libertate »scholarum religiosarum pro sacerdotibus praeparandis«, »sub inspectione generali Status«.

Minister instructionis publicae Reipublicae Popularis Croatiae rogatur »ut die **30 Iunii 1952** tradat Facultatem Theologicam Romano-Catholicam Universitatis Zagrabien-sis actuali Decano Facultatis dr Vilim Keilbach tamquam repraesentanti dioecesium memoratarum. Cum eodem Decano ordineentur omnes quaestiones quae exsurgunt relate ad redditum Facultatis in exclusivum regimen Ecclesiae«.

Praesidium Conferentiae episcopalis simul postulat ut Facultati Theologicae designetur congrua subventio annua finanziaria necnon ut permittatur collectio eleemosinarum ex parte fidelium catholicorum pro Facultate, quae fiat »a tributis confer-

rendis«. Pariter petitur ut studentibus iura aliorum auditorum Universitatis agnoscantur, praesertim quod attinet ad servitium militare.

Eadem die 23 Aprilis 1952 Praesidium Conferentiae Episcopalis Jugoslaviae mittit documentum eiusdem tenoris Praesidio Gubernii Foederativae Popularis Reipublicae Jugoslaviae petendo ut apud Gubernia Croatiae et Sloveniae instetur pro felici exitu respectivarum petitionum.

Die 24 Aprilis 1952 Praesidium Conferentiae Episcopalis Jugoslaviae mittit (sub n. 10-B.K./1952) Facultati Theologicae Romano-Catholicae Universitatis Zagrabienensis rescriptum, in quo Facultati communicantur resolutiones Commissionis executivae Episcopatus Catholici datae die 22 Aprilis 1952, prouti sequitur:

»1. Facultates Catholicae in Zagreb et in Ljubljana prosequuntur propriam vitam tamquam institutiones ecclesiasticae. Ab initio novi anni academici 1 Octobris 1952 prosequuntur sine obstaculo cum activitate iuxta rationem studiorum hucusque vigentem quae correspondet praescriptis Constitutionis apostolicae 'Deus scientiarum Dominus'.

2. Episcopatus catholicus agnoscit traditionalem autonomiam Facultatibus in Zagreb et Ljubljana, sub vigilantia Ordinarii loci in Zagreb et Ljubljana, qui simul est Magnus Cancellarius Facultatis in Zagreb respective in Ljubljana.

3. Utraque Facultas – Zagrabienensis et Labacensis – institutiones sunt interdioecesanae. Quapropter pro earum necessitatibus oeconomicis necnon pro activitate earum scientifica et pro progressu curare debent imprimis Ordinarii, resp. Magni Cancellarii in Zagreb, respective in Ljubljana. Ordinarii aliarum dioecesium partem sumunt in progressu per libera contributa pro auditoribus, quae ab Ordinariis et Superioribus domuum religiosarum mittuntur his Facultatibus.

4. Instituitur fundus (fondo) Facultatis cum officio ut necessitatibus Facultatis provideatur; qui fundus independens est ab aliis fundibus ecclesiasticis; administrationem eius gerit Commissio a Consilio Facultatis electa, sub vigilantia Magni Cancellarii.

5. De principio agnoscuntur salaria necnon honoraria iuxta praescripta Const. apost. 'Deus scientiarum Dominus' (art. 50 1) et 'Ordinationum' S. Congregationis pro Seminariis et Universitatibus (art. 47)« (Cf. Documentum VI).

31 Maii 1952 in Facultate Theologica Zagrabienensi factae sunt ultimae promotiones ad doctoratum theologiae (3), praesente Rectore Universitatis Zagrabienensis prof. dr F. Bošnjaković, iuxta praescripta tunc vigentia, quae validae etiam pro foro civili habebantur.

Die 30 Iunii 1952 Consilium Facultatis tenet sessionem extraordinariam (h 10), in qua decanus Facultatis V. Keilbach refert se die 27 Iunii receptum fuisse a ministro pro instructione publica dre Miloš Žanko qui sibi dixit inventarium et archivium Facultatis tradi actuali Decano in sensu petitionis Praesidii Conferentiae Episcopalis. Quaestionem vero subventionis finanziariae quod attinet, haec quaestio solvenda esset a Praesidio Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae quando pro hac re tempus veniet, »cum haec quaestio essentialiter esset naturae ecclesiastico-politicae«. In ista sessione Consilium sua facit sequentia verba decani Keilbach: »Non intelleximus nec hodie – post tot colloquia – intelligere possumus cur ex Universitate Croatica exclusa atque qua institutio statalis suppressa esse deberet nostra Facultas quae est ut ita dicamus fundamentum atque prima cellula istius Universitatis et quae propria activitate et momento, sive tempore elapso sive actuali, nationi Croatiae nonnisi honori et decori est et fuit«.

5 Iulii 1952 in sessione Senatus Universitatis rector Bošnjaković Senatam certiorum fecit de cessatione persistentiae Facultatis Theologicae in structura Universitatis. Quod tacite auditum est. Facultas Theologica ab Universitate nullam decisionem accepit, qua Universitas declararet quod Facultas Theologica eiecta vel separata esset ab Universitate, vel quod diplomata Facultatis pro Universitate nulla essent, aut similiter. Insigne honoris decani (monile decani) pacifice remanet in possessione Facultatis Theologicae, sicuti etiam usus formulariorum Indicis Universitarii et similia.

Die 30 Novembris 1952 Consilium (ie. Ministerium) pro instructione publica, scientia et cultura Popularis Reipublicae Croatiae (sub n. Kab 206/52) rescribit Praesidio Conferentiae Episcopalis, quod »*suscipitur ad notam*«
decretum Episcopatus de continuatione activitatis Facultatis Theologicae Romano-Catholicae Zagradiensis.

»Anuario Pontificio«
prosequitur cum insertione Facultatis Theologicae Zagradiensis in elencho »*Facoltà Teologiche presso Università di Stato*«.

Responsum circa petitionem Episcopatus pro *subventionem finanziaria* Facultati Zagradiensi necnon circa iura auditorum numquam datum est a Gubernio Popularis Reipublicae Croatiae.

Die 27 Augusti 1952 decanus Keilbach rogat Commissionem pro negotiis circa religionem apud Praesidium Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae ut faciat aliquid pro quam primum danda responsione circa petitam subventionem financiarum pro prosequenda activitate Facultatis Theologicae Zagradiensis et circa iura studentium relate ad servitium militare, sicuti id factum est pro Facultate Theologica Orthodoxa in Beograd et pro Facultate Catholica in Ljubljana.

Similem urgentiam interponit decanus Keilbach **23 Septembris 1952** apud Ministerium pro instructione publica necnon 12 Decembris 1952 et 20 Februarii 1953 apud praedictam Commissionem. In vanum.

Facultas Theologica Zagradiensis nullam subventionem accepit. Studentes perderunt iura relate ad servitium militare.

Anno academico 1952/53 Facultas continuat cum activitate. Spatia in Seminario in quibus haec activitas exercetur dat gratis Archidioecesis Zagradiensis. Professores sunt plus minusve voluntarii, sine salario, vel sine salario correspondenti. Alii sumptus solvuntur ex taxis studentium et ex liberis contributis Dioecesium et Ordinum religiosorum. Novi professores ex Ordinibus religiosis assumendi laborant gratis: eorum servitium computatur tamquam contributum liberum proprii Ordinis pro ulteriore existentia Facultatis. Provincia Zagradiensis Sororum Misericordiae S. Vincentii a Paulo donat s. Claram Dugić erga minimum salarium in societate civili licitum ut expleat munus Secretariae. Postea, ab anno 1974, sub iisdem conditionibus adiungit pro adiutorio in negotiis administrationis praebendo etiam s. Margaretham Babić, quae anno 1977 sorori Clarae successit in munere secretariae usque ad tempus novissimum. Est contributum istius Congregationis pro Facultate. Ab anno 1991 laborat in Facultate tamquam administrator s. Ines Tutić ex eadem Congregatione.

Diplomata a Facultate in posterum edita sine difficultate agnoscuntur in universitatibus Europae Occidentalis non solum ecclesiasticis sed etiam statalibus.

30 Octobris 1952 Magnus Cancellarius mons. Franciscus Salis, Ordinarius Zagradiensis sede impedita, mittit Ordinariis linguae croaticae propositionem circa summam quae a singulis libere contribuenda sit pro sustentatione Facultatis.

Anno 1955 fit conamen ut sustentatio Facultatis tutius ordinetur ope intentionum missarum quae assumendae essent a sacerdotibus singularum dioecesium ut celebrentur. Cardinalis A. Stepinac ex conflatione approbat propositum et ex sua parte promittit summam quae aequivalet duplici obligationi sacerdotum. Conamen ad exitum expectatum non perducitur.

7 Novembris 1955 decanus dr Juraj Pavić urget quaestionem de subventionem apud Commissionem pro negotiis religiosis apud Gubernium necnon 9 Novembris 1955 apud Praesidem Parlamenti Popularis reipublicae Croatiae. In vanum.

Anno 1961 Facultas, instigante archiepiscopo Zagrabiensi Francisco Šeper, incipit quotannis praeparare Cursum Theologico-pastoralem sive Hebdomadam Theologico-pastoralem pro permanenti formatione cleri. Assistunt cca 800 sacerdotes. Hebdomada apparatus ininterrupte usque nunc. Organisatores practici fuerunt initio dr J. Turčinović, deinde per longos annos usque ad annum 1991 dr Adalbert Rebić, cui ultimis annis adiutorium praestabat mr Stjepan Večković.

Eodem anno 1961 apud Facultatem instituitur s.d. »Cursus Catecheticus« pro praeparandis catechetis, qui postea constituitur tamquam »Institutum Cateheticum Facultatis«. Fundator et primus praeses est dr Ivan Škrebliin. Adiutorium decisivum praebent Sorores Misericordiae (s. Ilona Blažeka).

Anno 1963 erigitur Institutum pro musica ecclesiastica. Fundator et primus praeses est dr Albe Vidaković. Quae instituta quoad questiones oeconomicas non dependent a Facultate nisi quod attinet ad solam vigilantiam.

Anno 1965 incipiunt professores accipere parvam summam stabilem pro labore in Facultate relate ad horas praelectionum.

26 Aprilis 1965 movet decanus dr Jordan Kuničić de novo quaestionem de subventionem statali. In vanum.

Anno 1967 Alta Schola Theologica Rijeka obtinet affiliationem Facultati Theologicae Catholicae Zagrabiensi.

16 Martii 1967 professor dr Đuro Gračanin in sessione Consilii Facultatis profert opinionem de dramaticis condicionibus oeconomicis Facultatis, quae minime correspondent praescripto Const. apost. »Deus Scientiarum Dominus«, proponens ut de hac situatione immediate Sancta Sedes certior fiat; quod non est factum.

Die 10 Iulii 1967 decanus dr J. Kuničić et praeses Instituti pro musica ecclesiastica maestro Andelko Milanović Conferentiae episcopali Jugoslaviae mittunt appellationem in qua describunt condiciones impossibiles circa spatia in quibus praelectiones tenentur, petentes solutionem quaestionum sequentium: »1. spatia correspondentia activitati; 2. vera accessibilitas Facultatis pro studentibus et professoribus omnium dioecesium; 3. aedificatio novae Facultatis«.

Anno 1968 Magnus Cancellarius Cardinalis Franciscus Šeper mittit preces ad »Caritas Internationalis« pro solvendis sumptibus pro construendo novo aedificio Facultatis (omnis spes evanuit circa illam constructionem anni 1944; praesertim postquam advocatus Zaninović anno 1966 indagaciones circa statum iuridicum illius aedificii peregerat). Responsum est quod haec res praevideri possit pro anno 1970. Archidioecesis Zagrabiensis parata est donare gratis aream aedilitiam.

14 Iuanuarii 1970 potestates civiles dant permissionem circa locationem novi aedificii.

Mense Novembri 1970 preces pro aedificatione definitive acceptatae et approbatae sunt a Katholisches Hilfswerk, opere caritativo Episcopatus Germaniae Occi-

dentalis; quod sumptus soluturum est. Facultas Theologica dat conficere aedificandi descriptionem in Facultate architecturae Universitatis Zagradiensis; sumptus pro hoc labore solvit Caritas Internationalis.

Die 7 Maii 1971 primus vir institutionis Katholisches Hilfswerk mons. Karl Bayer cum proprio perito dre ing. Schlombs venit in Zagreb. Tunc concluditur ut potius accedatur ad aedificationem novi Seminarii Archidioecesanii iuxta normas hodiernas, aedificium vero actuale Seminarii relinquatur et restauretur pro usibus Facultatis Theologicae quae debet pari ratione esse ad dispositionem omnium Dioecesium et Ordinum religiosorum linguae croaticae. Archidioecesis tunc procedit ad conficiendam aedificandi descriptionem novi Seminarii. Sed res tacite moritur; Facultas remanet in aedificio Seminarii sicuti antea.

Ab initio anni academici 1969/70 Facultas Theologica in actum perducit nova Statuta, a S. Congregatione approbata, quae iuxta normas Concilii Vaticani II exarata sunt.

Anno 1969 incipit apud Facultatem constitutio Instituti pro cultura theologica laicorum, in quo docent professores qualificati iuxta normas in Facultate acceptatas: semestria et examina agnoscuntur qua aequivalentes in Facultate. Primus praeses est dr Josip Turčinović.

Anno 1969 Universitas Zagradiensis celebrat tertium centenarium suae fundationis diplomate caesario-regio imperatoris Leopoldi I. Decanus Facultatis Theologicae invitatus est ad sollemnitatem.

Eodem anno 1969 in volumine iubilaei (Spomenica) occasione celebrationis 300 annorum Universitatis Zagradiensis cursus eventuum circa exclusionem Facultatis Theologicae ex Universitate frigide descriptus est, et quidem non omisso accentu quod Universitas decretum Gubernii de suppressione diei 29 Ianuarii 1952 numquam acceperat (pg. 196).

Facultas Theologica celebrat idem iubilaeum pro se die **9 Novembris 1969**, in qua celebratione partem sumit et verbum facit rector Universitatis dr Ivan Supek.

Invitatus ab eodem Rectore, decanus Facultatis Theologicae dr T. Šagi-Bunić una cum Decano Facultatis Philosophicae comitant Rectorem Supek in sollemnitate analogae Universitatis Oenipontanae in Austria.

Publice interrogatus in diario »Vjesnik« qualis est relatio actualis Facultatis Theologicae ad Universitatem Croaticam Zagradiensem, rector dr Supek anno 1970 dicit nullam motionem a Facultate Theologica factam esse pro reintegratione in Universitatem. Quod verum est. Decanus Facultatis enim in momento assumptionis officii a Magno Cancellario instructionem acceperat ut qualescumque gressus pro reintegratione in hac situatione comunistica minime moverentur.

Anno 1970 introductum est pretium mensile pro audiendis praelectionibus in Facultate (s.d. »školarina«), quod pro auditoribus clericis solvitur ab eorum Ordinariis; laici solvunt unusquisque pro seipso.

15 Februarii 1970 movetur a Facultateiativa pro constituenda »Societate amicorum Facultatis Theologicae Catholicae Zagradiensis«, cum fine primario colligendi pecuniam pro investigationibus theologico-scientificis necnon pro instrumentis ad id necessariis (imprimis pro bibliotheca). Episcopi linguae croaticae 18 Februarii 1970 iativam approbant. Conferentia Episcopalis Jugoslaviae die 9 Aprilis 1970 rem committit Magno Cancellario archiepiscopo Francisco Kuharić, qui die 2 Iunii 1970 concedit approbationem Regulamenti pro futura associatione,

sed res non est ad exitum perducta ob turbulentam situationem politicam quae tunc sequebatur in Croatia (s.d. »Hrvatsko proljeće« – Ver Croaticum) in qua situatione affluxus hominum in talem societatem procul dubio magnus fuisset, sed difficulter in ambitu praecise religioso et theologico retineri potuisset.

Anno 1971 affiliationem Facultati Theologicae obtinuit Theologia Franciscana Makarska.

19 Aprilis 1971 tenetur in Facultate coadunatio Episcoporum et Superiorum maiorum religiosorum quorum clerici student in Facultate cum professoribus Facultatis de questionibus actualibus studii et educationis.

Anno 1972 affiliatio Theologiae metropolitanae Split.

10 Martii 1973 in sessione Consilii Facultatis, promovente decano dr Vjekoslav Bajsić, eligitur commissio pro inquirendis possibilitatibus pro salario fixo professorum, ne professores coacti sint aliis negotiis et viis quaerere sustentationem. Per lectis actis sessionum, Magnus Cancellarius archiepiscopus dr Franjo Kuharić die 8 Ianuarii 1974 invitat Facultatem ut descriptionem necessitatum Facultatis in scripto mittat Conferentiae Episcopali Jugoslaviae.

Die 12 Ianuarii 1974 movetur in Sessione Consilii Facultatis quaestio de assecuratione sociali (assicurazione sociale) professorum.

Die 6 Maii 1974 decanus Bajsić exponit in scripto Conferentiae Episcopali problematicam circa salarium et assecurationem socialem professorum. Conferentia episcopalis tractat de hac re in sessione die 10 Maii 1974 et concludit quod »non esset bonum procurare professoribus id quod non potest procurari omnibus aliis sacerdotibus«. Sic quaestio de assecuratione sociali suspenditur. Simul Conferentia Episcopalis postulat a Facultate ut praesentet accuratam computationem omnium sumptuum qui praevidentur pro professoribus insolventi.

De responsione disputatur in sessione Consilii Facultatis die 8 Octobris 1974 et decanus Šagi-Bunić die 9 Octobris 1974 submittit talem computationem Conferentiae Episcopali. Praeses Conferentiae Episcopalis mons. dr Kuharić die 5 Novembris 1974 certiore facit Facultatem quaestionem tractatam fuisse in sessione Conferentiae Episcopalis die 10 Octobris 1974; Conferentia decrevit ut semel in anno fieret collecta in omnibus ecclesiis linguae croaticae pro Facultate. Post aliquas haesitationes, Conferentia Episcopalis in sessione 11–14 Maii 1976 decrevit ut talis collecta instituat in omni prima dominica mensis Septembris. Praeses Conferentiae mons. dr Kuharić conscribit die 17 Iunii 1976 »Epistulam ad fideles pro collectione donorum (pecuniarum) pro Facultate Theologica Catholica Zagrabienensi«. Prima »collecta« tenetur 12 Septembris 1976.

Die 8 Martii 1974 Sacra Congregatio pro institutione Catholica approbat nova Statuta Facultatis exarata iuxta praescripta documenti eiusdem Congregationis »Normae quaedam«. Studia in Facultate Theologica Catholica Zagrabienensi iuxta haec Statuta articulantur in duos cursus seu directiones: Cursus institutionalis et Cursus academicus-scientificus. Cursus institutionalis perdurat 6 annos; per 5 annos studens audit praelectiones et facit examina ex philosophia christiana et ex universis disciplinis theologicis modo institutionalis; non requiritur ab eo labor in seminariis nec insertio activa in laborem scientificum; sextus annus vocatur »Annus pastoralis« et dedicatus est initiationi studentis in applicationem scientiae theoretice acquisitae necnon exercitationibus practicis in cura pastoralis. Omnibus his rite superatis, studens accipit »Testimonium de completa institutione sacerdotali«.

Cursus academico-scientificus perdurat 8 annos, et dividitur in *tres cyclos*. Primus cyclus studiorum perdurat per 5 annos et finem sumit assecutione *diplomatis Facultatis*, pro qua adeptione, praeter frequentationem ordinariam praelectionum et examina cum successu superata ex omnibus disciplinis philosophicis et theologis praescriptis, requiruntur: activus labor proficuus in seminario saltem per 8 semestria, disertatio scripta de themate a mentore dato ex qua dissertatione constare debet candidatum assecutum esse peritiam in litteratura theologica adhibenda et in argumentis theologis apte exponendis, necnon examen orale coram Commissione 3 professorum de 30 thesibus quibus complectitur principalis thematica ex universa theologia. Secundus et tertius cyclus habent characterem specialisationis. Secundus cyclus perdurat per novos 2 annos (ie. summatim 7 annos), complectitur frequentationem et examina ex cursibus specialibus, examen coram Commissione ex universo ambitu specialisationis, et praesertim conscriptionem et defensionem dissertationis qua solide in circiter 50 paginis sub ductu professoris aliquod thema ex propria specialisatione pertractatur et ex qua dissertatione constat candidatum possidere peritiam methodus scientificae applicandae. Adipiscitur diploma magistri scientiarum theologiarum cum explicita mentione specialisationis (licentia-tus). Tertius cyclus pro doctoratu postulat frequentationem cursum specialium per novum 1 annum (summatim ergo 8 annos), examina feliciter superata, necnon conscriptionem et defensionem dissertationis quae saltem 120 paginis constare et verum profectum scientiae repraesentare debet. Omnibus his superatis, candidatus obtinet titulum doctoris in scientiis theologis, cum explicita notatione specialisationis. Organisatio disciplinarum ordinata est per Cathedras disciplinarum, quae in Facultate sunt 12: Philosophiae, S. Scripturae Antiqui Testamenti, S. Scripturae Novi Testamenti, Theologiae fundamentalis, Historiae litteraturae et doctrinae christianae, Theologiae dogmaticae, Theologiae moralis, Theologiae pastoralis, Theologiae oecumenicae, Liturgiae, Historiae ecclesiasticae, Iuris canonici. Specialisationes quae in Facultate excoluntur, sunt 7: Formae et radices atheismi huius temporis, cum particulari respectu ad varias formas marxismi; Quaestiones oecumenicae, praesertim relate ad viciniore Ecclesias orientales; Religio islamica eiusque habitudo ad christianismum; Historia ecclesiastica nationalis croatica cum quaestionibus connexis; Quaestiones pastorales et liturgicae in concretis conditionibus socioculturalibus; Theologia dogmatica; Theologia moralis.

Anno 1974 apud Facultatem constituitur »Institutum Mariologicum Croaticum« (HMI = Hrvatski mariološki institut), incitante theologo Karlo Balić, OFM. Primus praeses est dr Adalbert Rebić.

Anno 1975 erigitur apud Facultatem Institutum historiae ecclesiasticae. Primus praeses est dr Antun Ivandija.

Anno 1976, die 12 Septembris, tenetur, uti diximus, prima »collecta« pro sustentatione Facultatis.

25 Octobris 1976 eligitur stabilis Commissio pro negotiis oeconomicis (Odbor za materijalno-financijsko poslovanje) Facultatis.

4 Decembris 1976 Consilium Facultatis sublineat Commissioni pro negotiis oeconomicis necessitates bibliothecae tamquam finem primum solvendum ex summa pecuniae ope »collectae« obtenta.

26 Februarii 1977 prodecanus dr Ivan Golub, nomine Commissionis supradictae, proponit ut ante omnia ex summa obtenta coaptetur unum spatium idoneum pro lectura (sala di lettura) pro studentibus et professoribus quod hucusque desidera-

batur. Consilium accipit propositionem ut pro hoc fine apte ordinetur spatium actuale Decanatus. Quod ad finem perductum est tempore aestivo 1977. Nunc spatium Decanatus cum Secretariatu vere insufficiens est, praesertim quod attinet ad Secretariatum cuius activitas in novis condicionibus enorme crescit.

23 Iunii 1977 Consilium Facultatis tandem audet stabilire remunerationem professorum iuxta sic dictum »systema punctorum«. Sic remuneratio assumit aspectum salarii in societate civili, sed summa a singulis professoribus accipienda notabiliter minor est quam actuale salarium medium in campo civili pro labore eiusdem generis. Professores remanent tamen sine assecuratione sociali pro senectute (età di pensionamento). Habent autem assecurationem relate ad morbum et servitia medicalia et medicinalia (assicuratione contro le malattie).

Anno 1978 Facultas incipit quotannis in prima hebdomada post Pascham apparare Symposium professorum scholarum theologiarum linguae croaticae pro profundiori informatione circa actuales quaestiones theologicas in mundo hodierno nec non pro stimulatione ad solutiones actuales iuxta directivas Magisterii ecclesiastici investigandas. Haec est nova forma illius quod a Facultate parabatur tempore postconciliari sub titulo »Cursus pro educatoribus clericorum« (curam gerit docens dr Tomislav Ivančić).

Eodem anno 1978 introducitur apud Institutum pro cultura theologica laicorum sic dicta »Theologia per correspondentiam«, promovente praeside istius Instituti dr Jerko Fućak.

Anno 1979 incipit apud Facultatem formari Institutum pro pastorali biblica. Primus praeses est dr Adalbert Rebić.

Anno 1984 apud Facultatem initium sumit formatio Instituti pro spiritualitate christiana pro quali incepto iniciativa surgit ex Ordine Carmelitarum. Primus praeses est dr Jakov Mamić.

Die 16 Aprilis 1985 Episcopi Jugoslaviae proferunt documentum »De educatione et institutione candidatorum pro sacerdotio«, quod a S. Congregatione pro institutione Catholica approbatum est »ad sexennium« die 3 Februarii 1986. In isto documento reassumitur et confirmatur decisio Praesidii Conferentiae Episcopalis Jugoslaviae de die 22 Aprilis 1952 (n. 10.BK/52) de Facultatibus theologis in Zagreb et in Ljubljana post annum 1952 qua institutionibus ecclesiasticis interdiocesanis.

Anno 1986 per iniciativam professorum dr Ivan Golub et dr Josip Turčinović initia ponuntur Instituti pro theologia oecumenica et pro dialogo.

Anno 1987 affiliationem ad Facultatem theologiam obtinet Alta Schola Theologica dioecesana Đakovo.

Anno 1988 Statuta Facultatis conformantur cum Constitutione apostolica »Sapientia christiana« (anni 1979) (approbata a S. Congregatione pro institutione catholica 15 Aprilis 1988 »ad quinquennium experimenti gratia«).

19 Octobris 1989 sollemniter celebratur in Universitate Zagradiensi »Dies Academicus« occasione 320 annorum existentiae Universitatis. Invitatus a Rectore dr Zvonimir Šeparović, decanus Facultatis Theologicae dr Josip Ćurić verbum sumit et gratias agens pro laudibus a Rectore prolatis erga tres Facultates initiales (Iuridicam, Philosophicam et Theologicam) »non omittit severe protestare contra factum quod vetustissima Facultas Theologica annis quinquagesimalibus exclusa sit e gremio Universitatis« (uti refertur in folio Almae Matris Alumni Croatica /Mar-

tius 1990/). Quae interventio notabilem attentionem in circulis universitariis erga quaestionem status Facultatis Theologicae in Universitate Zagrabiensi suscitavit.

Anno 1990 affiliationem ad Facultatem obtinet Alta Schola Theologica Archiepiscopalis Sarajevo in Republica Bosnia et Hercegovina.

Die 5 Aprilis 1990 rector Universitatis zagrabiensis prof. dr Zvonimir Šeparović tenet colloquium cum repraesentantibus facultatum ecclesiasticarum hic et nunc in Zagreb existentium circa posibles modos et rationes pro mutua cooperatione sive connexione instruenda. Invitati sunt decanus Facultatis Theologicae catholicae dr Josip Ćurić, decanus Facultatis Philosophicae Societatis Jesu dr Ivan Macan et decanus Facultatis Theologicae protestanticae »Matija Vlačić Ilirik« dr Josip Horak. Assistent uterque prorector Universitatis prof. dr Fedor Valić et prof. dr Ivo Škarić, auditor Facultatis Iuridicae Ozren Tatarac praeses Commissionis Universitariae pro *standard* studentium, necnon prodecanus Facultatis Philosophicae Societatis Jesu dr Ivan-Pavao Sztrilich, deinde Secretarius Universitatis Marijan Perković, et cooperatrix specialis in Rectoratu Branka Römer. Secundum dictum Rectoris, »tempus est ut errores et omissiones temporis elapsi corrigantur«. Facultas Theologica, unus ex fundatoribus Universitatis Zagrabiensis, »decreto illegali potestatum a. 1952« »expulsa est« ex Universitate Zagrabiensi. Universitas reconsiderare intendit legalitatem decreti Gubernii Reipublicae Popularis Croatiae diei 29 Ianuarii 1952. Rector agnoscit Universitatem ipsam, quamvis ab Universitate qua tali nulla decisio circa expulsionem facta fuisset, nihilominus responsabilitatem pro re habere »propter proprium silentium«, quia Senatus Universitatis tandem omisit discussionem circa protestationem Facultatis Theologicae de die 1 Februarii 1952, quae sibi delata fuerat cum precibus ut contra decretum suppressionis sententiam proferret. Universitas nunc desiderat creare etiam condiciones pro collaboratione cum omnibus Scholis religiosis.

Studens Ozren Tatarac, ex Facultate Iuridica, profert sententiam sequentem: »Gubernium Popularis Reipublicae Croatiae non possidebat competentiam pro proferendo decreto de suppressione Facultatis Theologicae; istud decretum est illegale; consequenter Facultas Theologica reapse in continuo est membrum Universitatis quod per aliquot decennia impeditum fuit activitatem exercere in gremio Universitatis. Quae simpliciter declaranda sunt in Consilio scientifico-lectionali Universitatis (Znanstveno-nastavno vijeće) et Facultas Theologica includenda in communitatem universitariam«.

Decanus Facultatis Theologicae dr Josip Ćurić putat Senatum Universitatis non esse inculpandum pro suppressione neque propter hoc accusandae auctoritates academicae: »saltem tacebant, illis temporibus etiam hoc pulcher gestus erat«. »Quaestio de reintegratione adhuc consideranda est: Haec Facultas nunc aliquantulum differtur ab illa quae anno 1952 suppressa fuerat« – putat dr Ćurić. Decanus Facultatis Philosophicae Societatis Jesu, recenter constitutae, exponit valorem istius Facultatis, salutem collaborationem cum facultatibus Universitatis, praesertim cum Philosophica, et putat necessarium esse ut »studentibus et discipulis facultatum et scholarum religiosarum aequalia iura agnoscantur sicut coeteris studentibus et discipulis necnon ut ex *fontibus status* adiutorium praebeatur pro eorum scholis et studiis sicut et pro caeteris scholis et studiis (instrumenta, bibliothecae et sim.)«. Decanus Facultatis Theologicae protestanticae »Matija Vlačić Ilirik« dr Josip Horak extollit momentum historicum istius coetus et putat rationes et possibilitates pro collaboratione esse multifarias.

Prorector dr Fedor Valić dicit in actu esse praeparationem *novae legis* pro Universitatibus; schema *novae legis* transmittendum est Facultatibus religiosis ut propositiones mittant pro eorum loco in nova legislatione obtinendo.

Die 9 Aprilis 1990 decanus dr Josip Ćurić (sub n. 379/90) de hoc colloquio certiorum facit Magnum Cancellarium cardinalem Kuharić. Extollit partes studentium Facultatis iuridicae in iniciativa relate ad reintegrationem Facultatis Theologicae in Universitatem. Praevidet necessitatem ut simile colloquium mense Maio convocetur in Facultate Theologica. Petit a Magno Cancellario instructiones.

11 Aprilis 1990 Magnus Cancellarius (sub n. 9-VK/90) respondit solutionem quaestionis de reintegratione Facultatis Theologicae in Universitatem Zagrabensem pertinere non solum ad competentiam Conferentiae Episcopalis sed etiam S. Congregationis pro institutione catholica. Rationes materiales solae non sufficiunt. Facultas debet recogitare omnia elementa quaestionis et sententiam Conferentiae Episcopali exponere.

20 Aprilis 1990 decanus dr Ćurić (sub n. 404/90) accuratius describit Magno Cancellario *statum quaestionis*. Praevidet tres optiones possibles pro solutione: 1. »*maximalisticam*«, quae sustinetur a studentibus Facultatis Iuridicae Universitatis; non agitur de »*nova inclusione*« Facultatis Theologicae Catholicae in Universitatem Zagrabensem sed »*Rector cum Senatu debet agnoscere factum quod Facultas Theologica in continuo usque nunc est pleno iure membrum Universitatis Zagrabienensis*«. 2. Optio »*minimalistica*«: Facultas Theologica remanet tamquam institutio ecclesiastica extra structuram Universitatis, sed petit ut suis documentis (ie. diplomatibus) agnoscatur validitas pro foro civili et aliquo protocollo (praeterreundo Rectoratum Universitatis) connexionem et collaborationem scientificam instruit cum una vel alia Facultate Universitatis; 3. Recentiore tempore a nonnullis studiosis qui pro tempore vivunt in America expressum est desiderium ut in Zagreb constitueretur Universitas Catholica coalescens ex existentibus Facultate Theologica et Facultate Philosophica S.J. necnon ex in posterum fundanda Facultate pro scientiis naturalibus promovendis. Consilium Facultatis nondum de quaestione disceptabat; quod praevideatur pro Sessione 28 Aprilis 1990. Mense Maio sententia proferenda erit. Consilium expectat suggestiones et directivas ab episcopis linguae croaticae.

Die 28 Aprilis 1990 in VII Sessione ordinaria problematica discutitur a Consilio Facultatis. Professores putant quaestionem reintegrationis huius Facultatis Theologicae Catholicae seiungendam esse a quaestione circa collaborationem aut integrationem aliarum duarum Facultatum de quibus sermo erat in colloquio die 5 Aprilis: Facultas enim philosophica Societatis Jesu necnon Facultas Theologica »*Matija Vlačić Ilirik*« *novae* sunt institutiones quae suam integrationem in systema universitarium Zagrabienense iuste quaerunt, Facultas vero Theologica Catholica ab initio Universitatis Zagrabienensis erat membrum Universitatis et nunc merito exigit ut eius iura historice acquisita agnoscantur et ideo casus huius Facultatis specialis est, non aequiparandus aliis. Consilium tunc eligit Commissionem ad hoc, cuius erit conficere – nomine Facultatis – textum »*Promemoriae*« submittendum Universitati Zagrabienensi, in quo textu sententia Facultatis delineanda est. In Commissionem intraverunt prof. ord. dr Tomislav Šagi-Bunić, prof. extraord. dr Matija Berljak et docens dr Josip Turčinović (Cf. Documentum VII).

Die 8 Maii 1990 decanus Facultatis dr Josip Ćurić tradit Promemoriam Rectori Universitatis dr Z. Šeparović et copiam transmittit ad notitiam Magno Cancellario cardinali Kuharić.

Iuxta textum Promemoriae Facultas Theologica permanet in sustinenda sententia quam sustinebat die 1 Februarii 1952: decretum suppressionis de die 29 Ianuarii 1952 invalidum est et iuridice nullum; proinde Facultas Theologica seipsam tenet pleno iure esse partem Universitatis Zagrabiensis. Universitas Zagrabiensis, secundum opinionem Facultatis Theologicae, sibiipsi, propriae identitati historicae et integritati, debet seu obligationem habet ut moveat processum pro declaratione *nullitatis* illius decreti. Quae declaratio a competenti potestate civili proferenda videtur. Facultas Theologica parata est, respectivis competentis observandis, ad colloquia ineunda pro compositione iusta necnon ad fines obtinendos idonea circa realitates quae interea surrexerunt et nunc existunt, sive ex parte legislationis et vitae in foro civili sive ex parte legislationis et vitae in foro ecclesiastico.

Eadem die 8 Maii 1990, textus Promemoriae in Sessione Consilii Universitatis, non obstante aliquantula resistentia, acceptatus est et approbatus.

Die 7 Iunii 1990 Rector Universitatis dr Šeparović interposuit (sub num. 01-659/1-1990) Consilio Executivo Parlamenti (ie. Gubernio) necnon ipsi Parlamento Croatiae petitionem ut decretum Gubernii de suppressione ex anno 1952 denuo accurate crisi subiciatur. In textu petitionis exponuntur facta historica, admittuntur rationes Facultatis Theologicae pro declaratione nullitatis illius decreti, cum talis suppressio Facultatis iuridice valida esse potuisset solummodo si facta fuisset *per legem* regulariter prolata in Parlamento Croatiae (Cf. Documentum VIII).

22 Iunii 1990 decanus dr Ćurić nomine Consilii Facultatis Theologicae gratias agit Rectori dr Šeparović cum collaboratoribus pro memorata petitione Gubernio missa quam iudicat esse »verum eximium opus (chef-d'oeuvre) specialis peritiae et humanitatis«. Animadvertit ad intentionem in circulis circa Gubernium prolata ut illud decretum ex anno 1952 tractaretur tamquam »praescriptum« quod nunc »extra vigorem« poneretur, ie. declararetur tamquam *in posterum* non obligatorium. Decanus Ćurić putat hanc non esse sententiam sive huius Facultatis sive ipsius Rectoris: nos tenemus decretum invalidum fuisse ab initio; non quod hucusque validum esset, et nunc valore privaretur.

23 Iulii 1990 Consilium Executivum Parlamenti (ie. Gubernium) reipublicae Socialisticae Croatiae profert decretum quo »Decretum Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae de suppressione Facultatis Theologicae Romano-catholicae Universitatis Zagrabiensis numerus 1268 de die 29 Ianuarii anni 1952 ex officio declaratur esse *nullum*. Simul Comitatus Reipublicae pro publica instructione, cultura, physica et technica cultura obligatio imponitur ut «definiat legales possibilitates pro practica incorporatione Facultatis Catholicae Theologicae Zagrabiensis in structuram Universitatis Zagrabiensis necnon ut hoc sensu appareret propositiones«. Documentum de hoc decreto editum est die 24 Iulii 1990 sub numero: Klasa 602-04/90-01/03, Urbroj 5030104-90-2; missum est Facultati Theologicae, Universitati Zagrabiensi, Comitatus memorato et aliis. Die 30 Iulii 1990 in scripto corrigitur error non essentialis qui in documento 24 Iulii decursu transcriptionis accidit (Cf. Documentum IX).

28 Septembris 1990 Nuntius apostolicus in Beograd Gabriele Montalvo exponit Magno Cancellario card. Kuharić instructiones generales Congregationis pro institutione catholica quae respiciunt similes casus in Europa Centro-Orientali. Procedendum est »con estrema prudenza e cautela«, »il punto fondamentale da tutelare fermamente è la libertà della Chiesa nel governo delle Facoltà Teologiche«. »Ci sembra indispensabile sperimentare una fase di collaborazione tra l'Università

statale e le Facoltà Teologiche«. »Soltanto in seguito a una congrua esperienza di questo genere, si potrà valutare l'opportunità o meno del reinserimento«. Quaestio non potest esse soluta sine consensione Sanctae Sedis. Instructiones assumuntur ad notitiam in I Sessione ordinaria Consilii Facultatis die **17 Octobris 1990**. Consilium concludit nostrum casum esse sui generis quoniam decretum suppressionis ex anno 1952 iam declaratum est fuisse *nullum*; sic Facultas nostra iam est in Universitate pari ratione sicuti erat ante 1952. Instructio pro praemittenda phase experimentali »collaborationis« tangit novas incorporationes, e. gr. Facultatis Philosophicae Societatis Iesu, aut eventuales incorporationes Theologiarum affiliatarum in Universitates regionales (e. gr. Split, Rijeka). Evidenter, firmiter in tuto ponere debemus libertatem Ecclesiae in Facultate regenda, procedere sine praecipitatione et obligationes concretas assumere non nisi obtentis necessariis approbationibus a competenti auctoritate ecclesiastica. Verumtamen haesitationes circa gressus immediate faciendos nihilominus existebant etiam in ipsa Facultate provenientes ex iam memorato facto quod in Universitate iam in motu sint actiones pro nova Lege de Universitatibus in Republica Croatia ferenda. Melius est, putabatur, expectare novam Legem, quam difficiles tractationes insumere pro coordinandis praescriptis ecclesiasticis cum praescriptionibus legislationis socialismi autogestionati circa s.d. »institutionem directivam«, quale systema scholasticum iamdudum severe crisi subiectum fuerat in circulis intellectualibus Croatiae. Quaestio sub utroque aspectu discussa est in sessione Conferentiae Facultatis die 17 Novembris 1990 necnon eadem die in III Sessione ordinaria Consilii Facultatis. Conferentia unanimiter commendat Consilio Facultatis ut pro restitutione Facultatis in gremium Universitatis Zagrabienensis non expectetur nova legislatio universitaria civilis, sed ut immediate gressus in hunc sensum aggrediantur. Consilium Facultatis accipit hanc commendationem Conferentiae et in eadem sessione eligit Commissionem *ad hoc* cuius erit accurato studio submittere universam problematicam perscrutando documenta relevantia et delineare gressus et modos concrete faciendos Consilio Facultatis ad decidendum submitteandos. In Commissionem intrant: decanus dr Šagi-Bunić, prodecanus dr Josip Čurić, prof dr Juraj Kolarić, necnon uterque iurista: professor dr Matija Berljak et assistens mr. Stjepan Večković.

Die 30 Novembris 1990 decanus Tomislav Šagi-Bunić mittit Rectori Universitatis dr Šeparović, illo petente, relationem de personis quae laborant in Facultate Theologica cum designata summa remunerationis quam de facto recipiunt (n. 1162/90). Sunt 30 actu docentes, 3 professores emeriti (sine pensione ex titulo laboris in Facultate), 6 officiales. Decanus refert tantummodo de situatione in Facultate stricte dicta; nihil refert de docentibus et officialibus in Institutis. Non enim audebat, putans hanc quaestionem Institutorum movendam esse quando ad conclusionem Conventionis pervenietur.

Die 3 Decembris 1990 Rector Šeparović transmittit istam Relationem Ministro pro instructione publica et cultura academico Vlatko Pavletić. Expectatur – dicit – conclusio Conventionis de inclusione Facultatis Theologicae in Universitatem sub condicionibus specificis. Petit ut iniustitia celerius reparari incipiat et ut in proiectum financiarium pro anno 1991 introducatur remuneratio etiam eorum qui in Facultate Theologica laborem exercent. Die sequenti Rector Šeparović mittit copiam decano Šagi-Bunić simul cum formulari textus »Conventionis de associatione in Universitatem Zagrabienensem«. Rector non videt amplius qualecumque obstaculum quominus Facultas Theologica conficeret cum Universitate Con-

tionem de associatione in Universitatem iuxta art. 5 et 12 praedicti textus constitutivi, necnon iuxta Legem de mutationibus et emendationibus Legis de formatione directa (usmjereno obrazovanje) eiusdem anni 1990. Rector putat speciali modo aptam esse ordinationem in art 5 praedictae »Conventionis« qua stabilitur in Universitatem associari posse »organisationes formationis directae VI et VII gradus quae constitutae sunt iuxta *praescripta specifica* secundum condiciones istis praescriptis stabilitas«, in qua formulatione patet spatium sufficiens pro legislatione ecclesiastica. Pro Decreto finali, quod profertur a Concilio (assemblea) Universitatis, praerequiritur consensus maioris partis membrorum iam associatorum (ie. caeterarum Facultatum et aequiparatarum institutionum), sed Rector putat talem consensum iam de facto obtentum esse: »nos volumus in nostrum gremium Facultatem quae ex *propria* Universitate expulsa fuerat«.

11 Decembris 1990 Decanus Facultatis Theologicae invitatur ut partem sumat in III Sessione Consilii scientifico-praelectionalis Universitatis Zagrabiensis qua membrum regulare istius entis, sicut et decani aliarum Facultatum. Sessio indicitur pro die 18 Decembris 1990. Rector dr Šeparović huic invitationi officiali adnectit etiam invitationem specialem in qua scribit: »Ego personaliter puto decreto Gubernii Reipublicae Croatiae de abrogatione decreti Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae ex 1952 status reversus est ad initialem. Continuemus nunc ubi stetimus. Pergamur se gerere velut ac si hoc infelix intervallum numquam extitisset. Formalitates interea soluturi sumus. Haec est typica situatio 'restitutionis in integrum'«.

Die 15 Decembris 1990 in III Sessione Consilii Facultatis, exhaustiva discussione peracta, votatur documentum »Proposita Facultatis Theologicae Zagrabiensis pro incorporatione in Universitatem Zagrabiensem«, quod sub datatione 17 Decembris 1990 (nrus 1232/90) dirigitur ad Praesidium Universitatis Zagrabiensis, cuiusque copia mittitur Magno Cancellario Facultatis, Conferentiae Episcopali, omnibus Episcopis linguae croaticae quibus Facultas Theologica anno 1852 iuridice a potestate civili tradita fuerat, necnon Nuntio apostolico cum sede in Beograd (Cf. Documentum X). Facultas Theologica petit ut in Universitatem Zagrabiensem incorporetur »sine ulteriore dilatione ac haesitatione« in sua realitate actuali, talis qualis nunc existit, cum agnitione iurium historice aquisitorum. In documento sublineatur: »Pro hac Facultate specialis est momenti, ut, concorditer cum declaratione illum decretum Gubernii Reipublicae Popularis Croatiae ex 1952 fuisse *nullum*, clare et definite constet omnes actus huius Facultatis, qui ab anno 1952 validitatem possidebant tantummodo pro foro ecclesiastico, validos esse (et fuisse) etiam *pro foro civili*, cum omnibus consequentiis in foro civili«. Facultas Theologica huic petitioni adnectit 10 exemplaria suorum Statutorum ex anno 1974, et rogat ut ab Universitate investigentur et si aliqua problemata detegerentur, id solvendum erit in gressu, praesertim cum in actu sint praeparationes pro nova Lege de Universitatibus in Republica Croatia ferenda; quae problemata eventualia solvi poterunt in communi colloquio servato respectu ad praerogativas auctoritatum competentium, ie. auctoritatum ecclesiasticarum quod attinet ad Facultatem Theologicam Catholicam.

In sessione Consilii scientifico-lectionalis Universitatis die 18 Decembris 1990, Rector dr Šeparović istam petitionem Facultatis Theologicae, praesente Decano Šagi-Bunić, iudicio submittit, et petitio est a Consilio acceptata et approbata per acclamationem.

Die 26 Decembris 1990 Universitas Zagradiensis (subscriptentibus Rectore Šeparović et Praeside Concilii Universitatis dr Duško Sekulić) mittit ad Ministerium pro instructione publica et cultura Reipublicae Croatiae petitionem pro assumptione sumptuum solvendorum pro Facultate Theologica, et quidem cum initio anni scholastici 1990/1991. In petitione refertur quod actio pro conficienda Conventione de associatione Facultatis in Universitatem sit in cursu et quod repraesentantes Facultatis invitati sint in aliqua organa universitaria in quibus iam partes sumunt. In litteris necessitates Facultatis Theologicae specificantur; praeter salaria pro personis (quae nunc non sufficiunt pro minimo existenciali), sublineatur defectus instrumentorum laboris et pretium locationis solvendum pro spatiis in Seminario archiepiscopali. Pro tribus mensibus elapsis (X, XI, XII anni 1990) petitur summa 6,639.500 dinari. Huic petitioni satisfactum est; et a die 1 Ianuarii 1991 Facultas Theologica sensu stricto (non inclusis Institutis) sustentatur ex aerario Reipublicae Croatiae iuxta parametra quae valent pro Universitate Zagradiensi.

Instante Universitate, Consilium Facultatis die **12 Ianuarii 1991** eligit prodecanum prof. extraord. dr Josip Ćurić ut sit delegatus Facultatis ex ordine professorum in Congregatione generali (Assemblea) pro annis academicis (1990/91 et 1991/92). Studentes Facultatis Theologicae eligunt similiter die **21 Ianuarii 1991** delegatum ex ordine studentium Nedjeljko Pintarić, auditorem anni V, clericum archidioecesis Zagradiensis.

Die 15 Ianuarii 1991 rite subscribitur Conventio de affiliatione Theologiae Franciscanae Sarajevo in Republica Bosnia et Hercegovina et petitio mittitur ad Sacram Congregationem pro institutione catholica a Decano uti mos est in casu Facultatis autonomae. Affiliatio concessa est die 24 Octobris 1991, ie. post decretum Universitatis de die 26 Februarii. Affiliatio ob novas circumstantias nondum in actum deducta est: expectatur ordinatio relationum cum Universitate Zagradiensi per Conventionem.

Universitate petente, in Sessione **12 Ianuarii 1991** Consilium eligit drem Matija Berljak, prof. extraord. Iuris Canonici, ut adiutorium praebeat Commissioni Universitatis ad hoc circa eventualia problemata intricata in analysandis Statutis Facultatis Theologicae.

Die 17 Ianuarii 1991, per iniciativam ex Universitate, fit in aula Universitatis Zagradiensis »praesentatio« Facultatis Theologicae coram professoribus, utique amicalis, cum discussione. Prof. dr Franjo Šanjek loquitur »De studio theologico in historia Croatarum«, prof. dr Tomislav Šagi-Bunić »De Facultate Theologica et de theologia in realitate hodierna«.

Die 5 Februarii 1991 Consilium Scientifico-lectionale Universitatis Zagradiensis proponit Congregationi Generali (Assemblea) Universitatis ut in actum deducat Decretum Gubernii Reipublicae Croatiae de die 24 Iulii 1990, quo decretum Reip. Pop. Croatiae 29 Ianuarii 1952 de suppressione Facultatis Theologicae declaratur fuisse *nullum*.

Die 14 Februarii 1991 Magnus Cancellarius card. Kuharić attentionem Decani Šagi-Bunić suscitatur nullam conventionem cum Universitate faciendam esse nisi praevis instantiae ecclesiasticae, quarum interest, de condicionibus incorporationis certiores factae sint.

Die 26 Februarii 1991 Congregatio generalis (assemblea) Universitatis Zagradiensis, auctoritas suprema in Universitate, in sua I sessione, proponentibus Consilio scientifico-lectionali, et Praesidio ipsius Congregationis, profert *Decretum* quo

declaratur: »*Facultas Theologica Catholica Zagradiensis est membrum Universitatis Zagradiensis, et quidem in continuitate non interrupta ab erectione huius Universitatis usque nunc*« (vide Documentum XI). Decretum immediate intrat in vigorem. Praevidetur (in art. II) confectio *Conventionis de associatione in Universitatem Zagradiensem*, quae subscribenda est a repraesentante Facultatis. Declaratur Facultatem obligatam esse ad observanda praescripta legislationis quae in Universitate vigent, si pro singulis quaestionibus quoad organisationem et activitatem istius Facultatis non est aliter regulatum praescriptis ecclesiasticis generalibus et specialibus (art. III). Decretum, subscriptum a Praeside Congregationis generalis Universitatis dr Jure Radić, in fine explicite dicit »omnia acta Facultatis Theologicae ab anno 1952 usque hodie commendari auctoritatibus Reipublicae Croatiae tamquam valida, et quidem pro foro civili«. Decretum susceptum est voce unanimi praesentium (75). Delegati Facultatis Theologicae immediate partem sumunt in actibus Assembleae tamquam membra pleni iuris, concrete in electione novi Praesidis Assembleae, novi Rectoris Universitatis necnon prorektoris–studentis. Delegatus Facultatis Theologicae prodecanus dr Josip Čurić brevi sermone gratias egit omnibus qui pro hac decisione praeparanda adlaboraverunt, nominatim Rectori Šeparović, personali administrativo Universitatis, studentibus qui in variis coadunationibus talem decisionem urgebant. Decisionem factam designavit tamquam »prosecutionem traditionis violenter ante 38 annos suffocatae«, tamquam maturum gressum versus finem idealem »Veritatis, Iustitiae et Libertatis, versus finem idealem Humanitatis, supra quem nemo possidet monopolium privatum«. Praesertim sublineavit desiderium Facultatis Theologicae ut fiat »membrum *responsabile*« Universitatis Zagradiensis. Pro novo Praeside Assembleae Universitatis electus est prof. dr Jure Radić, prodecanus Facultatis architecturae, qui suo tempore fuit auditor in nostro Instituto pro cultura theologica laicorum. Electio novi Rectoris et Prorektoris–studentis in hac sessione non est secuta.

Die 2 Martii 1991 Magnus Canc. card. Kuharić confirmat receptionem Decreti Congregationis generalis Universitatis et ponit quaestionem, quales sint consequentiae concretae quae pro Facultate Theologica ex decreto sequantur. Putat necessarium esse ut pro S. Congregatione conscribatur Relatio cum descriptione historica et consequentiis concretis ut a S. Congregatione consensus ad hoc Decretum obtineatur. Quod, proh dolor, ob circumstantias obiectivas et subiectivas, ecce vix nunc exsequi possumus.

7 Martii 1991, petente Universitate, Facultas Theologica accipit a Ministerio pro scientia Reipublicae Croatiae pro communicationibus expeditius faciendis, telescriptorem telephonicum (telefax).

Diebus 14–30 Martii 1991 Institutum Facultatis pro pastoralis biblica in cooperatione cum Bibliotheca Nationali et Universitaria Zagradiensi in aula ipsius Bibliothecae tenet expositionem publicam sub titulo »Biblia apud Croatias«. Catalogum expositionis confecit praeses Instituti dr Jerko Fućak.

Die 19 Aprilis 1991 Facultas Theologica obtinet registrationem apud Institutum pro statistica Reipublicae Croatiae quo facto aequiparatur aliis institutionibus publicis eiusdem generis in Republica. Antea tractabatur tamquam institutio privata.

25 Aprilis 1991 in Assemblea Universitatis electus est novus Rector Universitatis dr Marijan Šunjić, professor Facultatis pro scientiis naturalibus et mathematicis. Electio Prorektoris–studentis iterum non est secuta.

Conferentia episcopalis in sua **sessione vernali 1991** permittit ut Facultas Theologica Zagradiensis procedat ad tractationes cum Universitate Zagradiensi pro cons-

cribendo textu futurae Conventionis. Textus debet esse, ut valide a repraesentante Facultatis subscribi possit, praevis submissus ad approbationem Magno Cancellario, Conferentiae episcopali et Congregationi pro institutione catholica.

Die 6 Maii 1991 peracta est apud Ministerium pro scientia etc Reipublicae Croatiae registratio docentium in Facultate Theologica Catholica Universitatis Zagrabien-sis.

Die 7 Maii 1991 in Sessione Consilii Scientifico-lectionalis Universitatis electi sunt in Commissiones stabiles eiusdem Consilii Universitatis ex Facultate Theologica sequentes: prof. ord. dr Bonaventura Duda in Commissionem pro scientia, doc. dr Adalbert Rebić in Commissionem pro litteratura scientifico-institutionali.

In Commissionem pro standard studentium electus est Stipan Medo, studens laicus.

In VIII Sessione ordinaria Consilii Facultatis, die **11 Maii 1991** habita, votatur »Ordinatio Facultatis de assistentibus«: »Unaqueque Cathedra Facultatis ius habet saltem ad unum assistentem qui eligitur iuxta praescripta Statutorum Facultatis Theologicae Catholicae Zagrabien-sis (art. 40, 2-4)«.

13 Maii 1991 Facultas Theologica Catholica Universitatis Zagrabien-sis incipit concedere s.d. »nostrificationes«, ie. agnitiones validitatis etiam *pro foro civili* in Republica Croatia diplomatum et examen extra territorium Reipublicae adeptorum.

Die 4 Iunii 1991 coetus Rectorum Theologiarum affiliatarum (Đakovo, Rijeka, Split) mittit Facultati Theologicae Zagrabien-si petitionem in qua postulatur explanatio circa statum publico-iuridicum suarum Scholarum profluentem ex nova situatione quae evenit ex decreto Universitatis de Facultate tamquam membro Universitatis in continuitate numquam interrupta. Rectores putant Theologias praedictas in certis aspectibus eadem iura cum Facultate possidere, tum ad professores tum ad studentes quod attinet. Professores aequalibus iuribus cum aliis professoribus universitariis frui deberent, studentes cum aliis studentibus universitariis. Postulant ut eorum Institutiones integrentur in systema universitarium, inclusis quaestionibus oeconomico-financialibus et socialibus. Relate ad hanc petitionem decanus Facultatis Šagi-Bunić conscribit die **21 Iunii 1991** »Explanationem de statu actuali affiliatarum Altarum Scholarum Theologicarum« (n. 843/91) quae a Consilio Facultatis die 22 Iunii 1991 suscipitur et tunc transmittitur dictis Theologiis, et aliis auctoritatibus. Diplomata studentium istarum Scholarum, quae a Facultate Theologica vi affiliationis eduntur, evidenter valida sunt etiam pro foro civili; studentes et professores quoad iura generalia in vita publica aliis studentibus et professoribus universitariis in Republica aequiparantur. Sed affiliatio quae talis ex ipso iure ecclesiastico non includit connexionem oeconomicam cum Facultate; proinde ex decreto Universitatis de die 26 Februarii 1991 salarium professorum in Scholis affiliatis necnon sustentatio istarum Scholarum ex aerario solvendi minime ipso facto sequuntur. Ex dicto decreto sequitur in foro civili iuridice valida esse, etiam retroactive, omnia et sola illa quae in intervallo valorem habebant pro foro ecclesiastico, ergo iuxta leges ecclesiasticas. Fundatores istarum Scholarum, verumtamen, possunt talem sustentationem quaerere a competenti potestate civili, non mediante computatione pro Facultate. Affiliatio in hunc finem servire potest tamquam argumentum pro valore Scholae. Si vero dictae Theologiae incorporari intendunt in respectivam Universitatem regionalem in Croatia, faciant id modo regulari observando directivas Sanctae Sedis nuper prolatas; Facultas Theologica obstacula ponere non intendit.

Die 4 Iunii 1991 Facultas rogat apud Ministerium scientiae, technologiae et informaticae Reipublicae Croatiae pecuniam pro 3 computers pro Facultate aquirendis. Petitioni satisfactum est.

Die 14 Iunii 1991 Universitas invitat Facultatem Theologicam ut studio submittat textum propositum pro nova Lege universitaria in Republica Croatia ferenda una cum textu pro nova Lege de activitate scientifica. Postulantur animadversiones. Textus a Facultate transmittitur etiam Scholis affiliatis et propriis Institutis. In textibus proponuntur notabiles mutationes legislationis hucusque vigentis: derelictio elementorum modelli sovietici, sed etiam promotio modelli anglo-americanum cum diminutione elementorum modelli europaeo-germanici. Universitas praevidetur tamquam institutio pro initiatione in laborem scientificae investigationis potius quam pro simplici communicatione scientiarum hucusque acquisitarum. Facultates amittunt characterem autonomae personae iuridicae in favorem ipsius Universitatis; introducitur tamquam fundamentale s.d. »systema mentoris« pro unoquoque studente; praefertur igitur labor individualis cum singulis personis loco hucusque vigentis systematis praelectionum collectiviarum. Introducitur principium aemulationis (concorrenza) iuxta effectus scientificae investigationis; derelinquitur stabilitas muneris professoris et introducitur principium assumptionis in laborem ad tempus praestabilitum. Aperitur spatium pro facili fundatione Universitatis privatae. Quoad Facultates Theologicas praevidetur character earum specificus: »Facultates Theologicae sunt unitates (entia) organisativae et praelectiones quarum character specificus ordinatur Statutis (art. 25, 2)«.

Die 25 Iunii 1991, sequens voluntatem populi in s.d. *referendum* die 12 Maii 1991 expressam, Parlamentum Reipublicae Croatiae proclamatur independentiam huius status.

Die 9 Iulii 1991 Magnus Cancellarius Card. Kuharić, accepta Explanatione circa statum Scholarum affiliatarum, monet Decanatum ut celerius procedatur ad conficiendum textum Conventionis cum Universitate ut obtineatur approbatio Sanctae Sedis.

Die 10 Iulii 1991 tenetur Sessio Consilii Facultatis circa textus pro nova Lege universitaria et de activitate scientifica. Consilium denuo putat non esse expectandam novam Legem, sed procedendum esse ad conficiendum textum Conventionis cum Universitate Zagradiensi, sine haesitatione relate ad questionem utrum nova legislatio maiores aut minores possibilitates Facultati praebeat. Primum est ut Facultas reaffirmet propria iura historice aquisita; ulterior evolutio secutura est postea; summi momenti est ut Facultas locum accurate delineatum obtineat in Universitate qualis nunc existit. Simul approbatur textus petitionis (n. 955/91) a decano Šagi-Bunić confectus, mittendae ad Ministerium pro scientia Reipublicae Croatiae, in qua postulatur ut in »Classificationem provinciarum scientiae et ramorum scientiae« apud idem Ministerium inserantur »Scientiae theologicae« tamquam specialis »provincia«. Pro determinandis »ramis« praevidentur tres possibilitates: aut redintegratio in pristinum, ie. agnitio distributionis scientiarum quae in Facultate Theologica coluntur in 5 »gruppi« qui in legislatione statali agniti fuerant ante decretum suppressionis a. 1952 (Philosophia christiana; scientiae biblicae de Antiquo Testamento; scientiae biblicae de Novo Testamento; systematica theologia dogmatica; scientiae iuridico-historicae; theologia moralis et pastoralis). Possibilis est etiam classificatio iuxta nunc existentes 12 cathedras. Facultas Theologica praefert hanc possibilitatem, sed petit ut – si possibile est – introducat etiam novus ramus »Theologia realitatum terrestrium«. In fine, Facultas ag-

noscit etiam ultimam possibilitatem, non absolute reiciendam, sed certe non praefendam, ut »Scientiae theologicae« simpliciter inserantur in provinciam »Scientiae humanisticae« uti usque nunc fit pro philosophia. Copia petitionis mittitur Ministerio pro instructione publica, Rectoratui Universitatis, Magno Cancellario, Conferentiae Episcopali, Nuntiaturae apostolicae, Scholis affiliatis, aliis. Postquam a Ministerio pro scientia Decano telephonice communicatum est pro re necessarium esse praeivium consensum Communitatis omnium Universitatum Croatiae, Decanus die 16 Iulii 1991 mittit petitionem in hoc sensu Universitati Zagrabienisi (sub n. 978/91).

Die 11 Iulii 1991 in sessione Consilii Universitatis concluditur protrahendam esse, ad aliquod tempus, praeiviam disceptationem textus istarum legum (qui sustinentur ab actuali rectore prof. dr Marijan Šunjić, prof. Lelas et ministro acad. Vlatko Pavletić); simul non penitus oblivioni tradendus sit textus antea propositus qui non est ita »revolutionarius« (s.d. propositio Valić).

Die 11 Iulii 1991 Facultas Theologica mittit ad Ministerium pro scientia, technologia et informatica Reipublicae Croatiae elenchum omnium diplomatum (ie. diplomatum Facultatis seu primi cycli), necnon (die 12 Iulii 1991) licentiatum seu magisterii et doctoratus theologiae a Facultate Theologica Zagrabienisi a die suppressionis (ie. a die 30 Iunii 1952) editorum, cum petitione ut registrentur tamquam *valida ad effectus in foro civili*. Numero: diplomata primi cycli: 1.059; licentiatum (magisterii): 153; doctoratus theologiae: 60. Nostrificationes diplomatum: 80. Facultas ad hanc petitionem faciendam mota est precibus aliquorum quibus validitas diplomatum in vita quotidiana in dubium vocatur a singulis officialibus civilibus. Ministerium transmittit petitionem Universitati, tamquam competenti (31 Iulii 1991). Decanatus de questione scribit Universitati die 2 Septembris 1991 rogando ut res quam primum pro publico clarificetur.

Die 13 Iulii 1991 (sub n. 971/91) Decanatus interponit apud Ministerium laboris et curae socialis Reipublicae Croatiae petitionem ut in effectum deducatur confirmatio status iuridici personarum quae laborant in Facultate Theologica Catholica Zagrabienisi et laborabant post annum 1952, sicut id sequitur ex declaratione Gubernii Reipublicae Croatiae decretum suppressionis a. 1952 fuisse *nullum*. Quod necessarium est ut omnes consequentiae negativae illius decreti *nullae* corrigantur. Agitur praesertim de questione iustae assecurationis socialis personarum. A Ministerio petuntur instructiones quid et quomodo a Facultate in hunc finem faciendum sit.

Die 19 Iulii 1991 Facultas mittit Nuntio apostolico in Beograd versionem latinam (cum originali) documentorum fundamentalium, sc. Decreti Gubernii Croatiae de die 23 Iulii 1990 quo declaratur *nullum* Decretum de suppressione ex a. 1952; Proposita Facultatis Theologicae Catholicae Zagrabienensis pro reincorporatione in Universitatem Zagrabienensem; Decretum Congregationis generalis Universitatis Zagrabienensis de die 26 Februarii 1991 quo declaratur Facultatem Theologicam Zagrabienensem esse membrum Universitatis in continuitate numquam interrupta.

22 Iulii 1991 Decanus Facultatis dr Šagi-Bunić, satisfaciens obligationi a Consilio Facultatis sibi iniunctae, confecit *Explanationem de diplomatibus Facultatis Theologicae Catholicae Universitatis Zagrabienensis*, in qua elaboratur status quaestionis universae problematicae quae de hac re exurgit in novis condicionibus relate ad introductionem doctrinae christianae in scholas civiles.

Bello atroci aggressivo in Republica Croatia grassante, Congregatio generalis (Parlamentum) Croatiae die 3 Augusti 1991 commendat, et Congregatio generalis

(Assemblea) Universitatis Zagrabienensis die 5 Augusti 1991 decernit ut Universitas ab ista die activitatem exercet »sub condicionibus specialibus«, includendo se in »systema unum defensionis Croatiae«. Universitas invitat Facultatem Theologicam ut partem sumat in isto systemate, inviando directivas specificas, quas Decanatus immediate transmittit propriis institutis et scholis affiliatis in Croatia. Die 11 Augusti 1991 Facultas Theologica profert Decretum (sub n. 1131/91) de constitutione s.d. »Krizni štab«, ie. »Coetus critici« (comitato di crisi), qui quotidie coadunatur, uno ex membris permanentiter praesente, in finem vigilantiae circa conservationem aedificii et patrimonii (possessionis) adversus posibles actus improvisos terrorismi, circa protectionem personarum et similibus. Praesidet huic coetui speciali prodecanus dr Juraj Kolarić, membra sunt alii 5 docentes. Quotidie debent conficere protocollum de omnibus quae acciderunt et transmittere analogo enti Universitatis.

Die 2 Septembris 1991 Magnus Cancellarius card. Kuharić approbat »ad experimentum ad triennium« *Regulamentum fundi (fondo) ecclesiastici Facultatis Theologicae Catholicae Universitatis Zagrabienensis*. Regulamentum possidet vigorem *Ordinationis* Facultatis, sensu descripto in »Ordinationes Sacrae Congregationis pro institutione catholica ad inst. apost. «Sapientia christiana» rite exequendam, Appendix I, ad art. 6,3 »Ordinationum«, necnon documenti Episcoporum Jugoslaviae »Educatio et institutio candidatorum pro sacerdotio«, n 134. Regulamentum, initiante Magno Cancellario per monitum sub n. 6-VK/91 Facultati datum die 15 Februarii 1991, in executione conclusionis Consilii Facultatis factae in IX Sessione ordinaria die 22 Iunii 1991, finalem redactionem obtinuit die 30 Augusti 1991. Finis Regulamenti est ut in novis circumstantiis, quando Facultas Theologica revertitur in systema sumptuum solvendorum ex aerario statali, contributa fidelium per s.d. »collectam annualem pro Facultate Theologica« remaneant independentia ab aerario et solvantur ad fines exclusive theologicos et ecclesiasticos. Simul ut inveniatur modus pro stimulandis studiis theologicis ope stipendiorum et adiuvationum hominum etiam in aliis scholis theologicis in Croatia pro libris et ephemeredibus theologicis edendis et similibus.

Die 11 Septembris 1991 (Klasa: 640-02/91-01/027, Ur. broj: 533-91-09-2) Ministerium Scientiae technologiae et informaticae Reipublicae Croatiae profert Decretum quo constat Facultatem Theologicam Catholicam Zagrabienensem satisfacere condicionibus quae requiruntur pro organisatione scientifica investigationis. Cum mense Octobri 1991 incipit solutio salariorum pro doctentibus et aliorum sumptuum etiam pro Institutis Facultatis Theologicae. Petentibus auctoritatibus Universitatis Zagrabienensis, praeside Universitatis dr Jure Radić et Reçtore dr Marijan Šunjić, celebratur in ecclesia cathedrali Zagrabienensi sollemnis missa pontificalis pro »Veni Sancte«, occasione novi anni academici. Concelebrationi praesidet archiepiscopus Franjo card. Kuharić, Magnus Cancellarius Facultatis Theologicae, concelebrantes sunt quasi omnes episcopi Croatiae, qui ad conferentiam tenendam Zagrabiae coadunati sunt. Praeses Universitatis Radić legit Epistolam in missa.

12 Novembris 1991 mr Stjepan Večković, assistens apud Cathedram Iuris eccl., membrum Commissionis nominatae 17 Novembris 1990 pro perscrutanda problematica circa reincorporationem Facultatis in Universitatem, Decanatu communicat suam sententiam: Peracta analysi textus »Conventionis de associatione in Universitatem« (in vigore a 23 Ianuarii 1991), »nullas invenit ecclesiastico-iuridicas rationes, quae obstant«, quominus illa quae in textu praescribuntur, acceptaren-

tur a Facultate Theologica. Obligatio Facultatis ad observantiam praescriptionum ecclesiasticarum sufficienter in tuto ponitur in decreto Assembleae Universitatis 26 Februarii 1991. In ipso textu »Conventionis« praevidentur nova Statuta Universitatis ferenda. In cursu sunt actiones pro nova Lege de Universitatibus proxime ferenda. Sperare licet: in his ordinationibus futuris praescriptiones canonicae relate ad Facultatem Theologicam respectivam explicitam mentionem obtinebunt. Textus praedictus, de caetero, praevidet etiam (in art. 7) libertatem secessionis Facultatis ex Universitate, pro casu extremo.

Initio mensis Decembris 1991, in circumstantiis atrocibus belli contra Republicam Croatiam necnon contra Republicam Bosniam et Hercegovinam docens Facultatis Theologicae dr Adalbert Rebić, praefectus Cathedrae Antiqui Testamenti, assumere debet, insistente potestate civili et anneunte Magno Cancellario, munus praefecti Officii pro expulsis et profugis apud Gubernium Reipublicae Croatiae.

In Sessione habita 21 Decembris 1991, Consilium Facultatis approbat schema praeparatorium pro textu Conventionis cum Universitate, quod die 30 Decembris 1991 transmittitur ad Secretariatum Universitatis cum precibus pro instructionibus qua ratione ulterius procedendum sit. Simul iste textus transmissus est Institutis Facultatis, Scholis affiliatis, Magno Cancellario, Conferentiae episcopali, episcopis linguae Croatiae pro informatione. In textu proposito stabilitur quod ab omnibus membris Universitatis Zagrabiensis agnoscatur validitas iuridica omnium actuum Facultatis Theologicae Zagrabiensis qui ab anno 1952 lati sunt in conformitate cum legislatione ecclesiastica universitaria iuxta quam Facultas Theologica Catholica Zagrabiensis suam activitatem exercebat. Istis actibus agnoscuntur omnes consequentiae iuridicae pro foro civili quas habent analogi actus caeterorum membrorum Universitatis Zagrabiensis in Republica Croatia, et quidem cum vi retroactiva. Facultas Theologica suscipitur ab aliis membris Universitatis talis qualis nunc est, in statu suo actuali; Quod implicat respectivam agnitionem et admissionem entium sive scientifico-lectionalium sive scientifico-investigativorum quae a Facultate sive fundata sunt sive ipsi Facultati associata (ie. Institutorum Facultatis et Theologiarum affiliatarum). Universitas exigit a Facultate Theologica ut propria Statuta et alia acta normativa conformet cum legislatione civili in Republica Croatia, cum Statutis et aliis actis normativis Universitatis. Universitas agnoscit ut Facultas Theologica in conformitate cum suo caractere specifico institutionis scientifico-institutionalis ecclesiasticae in propriis Statutis et actis normativis observet praescripta ecclesiastica. Facultas Theologica obligationem praedictam suscipit; sed essenziale putabat ut Conventione praevideretur determinatum tempus delationis. Proinde in textu proposito determinatur: Universitas consentit ut Facultas Theologica ad quinquennium pergat activitatem exercere iuxta praescripta nunc in suis Statutis et actis normativis stabilita, ie. ecclesiastica. In spatio quinque annorum debet conformare sua Statuta et acta normativa cum legislatione civili et actis normativis Universitatis. In cursu 5 annorum etiam entia a Facultate sive fundata sive Facultati associata debent, sive terminologicis sive organisative, sese conformari cum condicionibus in Universitate vigentibus. Haec quaestio speciali modo respicit Instituta Facultatis, quae de facto potius sunt Scholae quam »Instituta« sicuti hic terminus intelligitur in Universitate ubi Instituta sunt entia essentialiter scientifico-investigativa. Universitas agnoscit quod in eventualibus quaestionibus controversis decisio ultima, relate ad Facultatem Theologicam, spectat ad competentes auctoritates Ecclesiae Catholicae, et quod consensus attingi debeat in dialogo cum istis auctoritatibus. In textu proposito

praevideatur ut Universitas explicite agnoscat ius Facultatis ut sustineatur ex aera-rio eadem ratione sicut et caetera membra Universitatis, sed haec praecisatio cadit iam ab initio tractationum tamquam non necessaria quia per se patens. Facultas Theologica promittit se **in processu** introducturam esse in praxim singula praescripta ex documento »Conventio de associatione in Universitatem Zagrabiensem« non differendo omnia ad finem 5 annorum. Mutationes quae ab Officio iuridico Universitatis introductae sunt consistunt essentialiter in his: delatio non fit ad quinquennium sed ad initium vigoris novae Legis universitariae cuius con-fectio est in cursu (sic tempus utile potest esse brevius, sed etiam longius, depen-det a tempore quando lex in Parlamento lata erit) et in decisione quod Facultas Theologica debet immediate sequi praescripta in dicta Conventione, exceptis iis quae sunt contraria legislationi ecclesiasticae. Praevideatur ut Conventio vigorem accipiat post approbationem a competentibus auctoritatibus ecclesiasticis. Textus propositus pro Conventione sic revisus a Consilio Facultatis admissus et in Ses-sione die 11 Ianuarii 1992 habita, et transmissus Magno Cancellario, Conferentiae episcopali, episcopis linguae croaticae, Provincialatibus, Institutis Facultatis, Scholis affiliatis, ut sententiam propriam expriment.

Die 16 Ianuarii 1992 dr Jerko Fućak nomine Facultatis, invitante direttore Fundi Reipublicae Croatiae pro pensionibus opificum Croatiae Stjepan Brčić, assistit Consultationi et tractationi de versione praevia pro nova Lege de assecuratione pensionale, in qua coadunatione quaestio facta est etiam de petitione respectiva Facultatis Theologicae interposita die 13 Iulii 1991 apud Ministerium laboris et curae socialis pro confirmatione status iuridici personarum laborantium in Facul-tate ab anno 1952 relate ad eam pensionem. Decanus tradidit ei eadem die Promemoriarum in qua accurate delineata est problematica et propositus modus so-lutionis mediante Ministerio pro instructione publica a quo Ministerio Facultas Theologica normaliter dependet. In sessione in lucem venit intentio ut haec quaestio Facultatis Theologicae solvatur in nova lege in connexionem cum quaestione de assecuratione sociali pro sacerdotibus et pro personali ecclesiastico in genere.

Die 31 Ianuarii 1992 Facultas accipit a Secretariatu Universitatis circulare circa spatia disponibilia et necessaria pro activitate cum petitione ut urgeter (usque ad 7 Februarii 1992) situatio describeretur et Universitati deferretur. Prodecanus Kolarić, adiuvantibus magistro Stjepan Večković et architecto dre Velimir Neidhart conficiunt Protocollum de condicionibus hic et nunc existentibus et de neces-sitatibus urgentibus simul cum praevisionibus quomodo quaestio solvenda esset (die 5 Februarii 1992). Protocollum suscipitur a Consilio Facultatis in Sessione die 15 Februarii 1992, isti Commissioni initiativae adiungitur etiam prof dr J. Fućak et comittitur prosecutio laboris pro solutione quam meliore invenienda. Praedicta Commissio refert de hodierna situatione iuridica circa aedificium ex annis 1943–1944; de aedificio pro Facultate quod anno 1971 in locatione Šalata planificatum fuit (sed tunc idea de Facultate in illo loco derelicta erat, uti diximus, cum proposito ut potius aedificaretur novum Seminarium theologicum, Facultas vero ab Archidioecesi acciperet aedificium hodierni Seminarii in plenam posses-sionem). Commissio iudicat aedificium planificatum in locatione Šalata esse inep-tum ob rationes urbanisticas. Sed favet optioni ut pro Facultate adaptetur pars vasti aedificii Seminarii puerorum in eadem locatione Šalata, quod aedificium ex magna parte per longos annos postbellicos serviebat pro hospitali militari. Nunc Hospitale militare iam transmissum est in grande aedificium pro se aedificatum in suburbio Dubrava, et spatia novam finalitatem expectant. Prodecanus Kolarić

apparat expositionem projectorum in Facultate ut omnes professores visualiter de quaestione iudicare possint. Episcopus mons. dr Đuro Kokša, delegatus pro studiis, interea proponit ut potius apud auctoritates urbis Zagreb gressus fiant pro ad usum Facultatis Theologicae tradendo aedificio repraesentativo iam existente in area Capitulari »Miroslav Krleža«, s.d. »Schola Capitularis« (Kaptol 16), in quo locata est Schola elementaris. Aedificium, enim, vicinum est Seminario Archidioecetano. Prodecanus dr Kolarić in init contactus cum competentibus. Facultas accipit 27 Aprilis 1992 et 15 Maii 1992 rescripta ab auctoritatibus competentibus in sensum negativum. De quaestione disputatur in Sessione Consilii die 16 Maii 1992. Concluditur optimam solutionem fore ut procedatur ad construendum novum aedificium. Locatio posset eligi in vicina Nova Ves, ubi nunc est fabrica »Astra«.

In Sessione Consilii Facultatis die **15 Februarii 1992** Decanus Šagi-Bunić repetite rogat ut propter eius aegrotationem progressam (ischemia et incidens stradalis) usque ad electionem novi Decani in fine anni academici omnia negotia Decanatus assumat gerenda Prodecanus dr Kolarić. Stabilium est ut Decanus ad finem perducere iam initas promotiones docentium, caetera negotia exerceat Prodecanus (Petitio Decani de die 6 Februarii 1992). In hac Sessione 15 Februarii admissus est textus revisus Conventionis cum Universitate Zagrabiensi subscribendus, sed committitur Decano, Prodecano et iuristis dr Berljak et mr Večković ut introducant stabilitas ultimas correctiones naturae potius stylistico-redactionalis. Simul decernitur ut textus sic redactus immediate submittatur Magno Cancellario, Conferentiae Episcopali et Congregationi pro institutione catholica ut necessariae approbationes concedantur.

In Sessione Consilii 15 Februarii 1992 suscipitur Conclusio Consilii scientifico-lectionalis Universitatis Zagrabiensis, a nobis recepta die 11 Februarii 1992, circa insertionem scientiarum theologiarum in officialem classificationem apud Ministerium pro scientia etc. Reipublicae Croatiae. Universitas Zagrabiensis proponit Communitati Universitatum in Croatia ut scientiae theologicae inserantur in »provinciam« scientiarum sociali-humanisticarum et quidem cum adnexionem in ipso titulo verbi »theologicae«, ita ut haec »provincia« pro futuro vocetur: »Scientiae sociali-humanistico-theologicae«.

Die 20 Februarii 1992 episcopus mons. dr Ćiril Kos, in qualitate praesidis Commissionis Catecheticae Conferentiae Episcopalis Croatiae, petit ut a Facultate Theologica moveatur processus pro agnitione testimoniorum et respectivae qualificationis professionalis quae a potestate civili requiritur pro doctrina christiana docenda in scholis publicis, cum doctrina religionis iam in scholas introducta sit. Agitur speciali modo de sororibus religiosis quae hucusque proficue docebant doctrinam christianam in systemate paroeciali. Multi ex istis catechistis adepti sunt formationem respectivam in variis locis et in variis Universitatibus. Oportet valutare et agnoscere omnia testimonia et diplomata obtenta. Facultas Theologica Catholica Universitatis Zagrabiensis – petit episcopus Kos – constituat Commissionem »omnium Altarum Scholarum Theologicarum« ad hoc ut adipiscatur »consensus cum Ministerio pro instructione publica et cultura Reipublicae Croatiae«. »Commissio Catechetica Conferentiae Episcopalis et Institutum Catecheticum Facultatis – scribit mons. Kos – parati sunt collaborare in isto labore«. Quaestio discutitur in IV Sessione ordinaria 21 Martii 1992. Stabilium: Facultas Theologica iam facit quae sua sunt pro *agnitione in foro civili* diplomatum a se editorum necnon peragit nostrificationes. Relate ad ordinandam quaestionem qualis qualifi-

catio postulatur pro tradenda doctrina christiana in respectivis scholis publicis, Facultas non se sentit competentem pro ineundis colloquiis cum potestate civili de regulanda ista quaestione. Hoc est in competentia Conferentiae episcopalis, respective eius Organi respectivi. Facultas Theologica libenter, petente Conf. episc. aut eius Organo, suum professorem, aut professores, in re peritos (e.g. iuristam, peritum in catechetica, in theologia pastorali, alium) qua consiliarium delegatura est. Responsum in hunc sensum episcopo Kos datum est die 30 Martii 1992 (sub n. 01-96/2-1992). Interea, episcopus Kos die 28 Martii 1992 (rescriptum acceptum a Facultate die 2 Aprilis 1992) urget responsum Facultatis, introducens novum elementum: »in periodo transitionis sufficienter aestimandus est etiam labor nostrarum catechistarum per longos annos in doctrina christiana paroeciali«. Simul adnectit petitionem Unionis Croaticae Maiorum Superiorissarum Religiosarum, quae sibi die 4 Martii 1992 interposita est. Religiosae accurate describunt problematicam: Agitur de sororibus catechistis, hucusque agentibus in catechesi paroeciali, quae non possident sufficientem qualificationem specialisatam requisitam pro catechesi in scholis publicis tenenda. Minutiose describunt varios gradus et modos instructionis pro tradenda catechesi a singulis sororibus in intervallo temporis ab anno 1960 adeptos, adiungendo praeterea valorem proficuae catechisationis in longa activitate practica. Rogant ut stabiliatur ratio et modus quo singulae catechistae, congruenter cum formatione iam assecuta, ope cursuum et examen, aut alio modo, possint studia prosequi, ut adaequatam qualificationem, quae requiritur, assequantur. Proponunt etiam varias possibilitates quae sibi attentione dignae videntur. Paratae sunt, igitur, ad novos gressus et labores pro re iuste et adequate solvenda faciendos. Consilium Facultatis problematicam denuo discutit in Sessione die 11 Aprilis 1992. Remanet in sententia transmissa episcopo Ć. Kos die 30 Martii, de incompetencia Facultatis ut ineat colloquia cum Gubernio circa qualificationem pro docenda doctrina religiosa in scholis publicis. Propositiones Unionis Religiosarum non videntur cum sufficienti gravitate disputatae; proinde iterum deiudicandae videntur.

21 Februarii 1992 Magnus Cancellarius urget confectionem Relationis triennalis de activitate Facultatis Congregationi pro institutione catholica transmittendae. Cui instantiae praesenti elaborato satisfacere desideramus, petentes suppliciter ut nobis ignoscatur haec retardatio minime volita.

26 Februarii 1992, petente Ministerio laboris, curae socialis et familiae Reipublicae Croatiae, Facultas determinat assist. drem Stjepan Kušar, ut collaboret in conficiendo schemate textus pro nova lege de cura sociali ferenda.

Die 29 Februarii 1992 Decanus Šagi-Bunić conficit Promemoriā de problematica affiliationum qualis est ista die: de executione a Congregatione pro institutione catholica concessae affiliationis Theologiae Franciscanae Sarajevo, de prosecutione affiliationis Theologiae in Split, de reviscentia affiliationis Theologiae Franciscanae Makarska, de continuanda affiliatione Theologiae Đakovo, necnon de quaestione urgenti circa determinandum statum iuridicum pro pensione docentium in Scholis affiliatis, pro qua re voluntas in competenti officio civili exprimitur sed quaeritur fundatio legalis; Scholae affiliatae nempe iuxta legislationem ecclesiasticam oeconomice independentes sunt a Facultate affiliante. Promemoria transmissa est Scholis affiliatis, Magno Cancellario, Rectoratui Universitatis.

Die 11 Martii 1992 Prorektor Universitatis pro scientia prof. dr Hrvoje Babić petit ut a coetu professorum in labore scientifico proficuum in Facultate Theologica studio submittantur et suggestiones respectivae transmittantur de quaestio-

nibus circa ameliorandum processum pro doctoratu scientiae adipiscendo necnon circa criteria in promotionibus professorum in superiores gradus scientificos. In angustia vitae actualis responsio quae expectabatur pro die 27 Martii non est data.

2 Aprilis 1992 Sessio prodecanorum Universitatis qui curant pro lectionibus tenendis. Profertur opinio studentes VI anni Facultatis Theologicae obligatos esse ad solvendam taxam scolasticam quia VI annus non intraret in ambitum programmatum ordinarii Facultatis. Ad quod assentiendum non videtur: Annus VI in nostra Facultate est – iuxta praescripta ecclesiastica –ordinarius pro *cursu institutionalis*, non pro cursu scientifico. In fine anni sexti obtinetur enim »Testimonium de institutione sacerdotali completa«. Facultas Theologica ab Universitate accepta est talis qualis nunc existit »*ecclesiastice ordinata*«.

Die 3 Aprilis 1992 e Ministerio pro instructione publica et cultura Reipublicae Croatiae petitur a Facultate Theologica ut exprimat sententiam circa iniciativam ut Alta Schola Theologica Đakovo associetur in Universitatem in Osijek. Res discussa est in V Sessione ordinaria Consilii die 11 Aprilis 1992. Responsum est, ex parte Facultatis Theologicae Universitatis Zagrabiensis nihil obstare quominus talis gressus fieret ad consequendos effectus pro foro civili. Res ecclesiasticae dependet ab Episcopo Đakovensi et ultimatum a Sancta Sede. Animadvertitur quod affiliatio ipsa, proinde nec talis associatio, Scholam non elevet in Facultatem quae diplomata universitaria concedere possit. Nunc studentes Scholae praedictae sub determinatis condicionibus accipiunt diploma Facultatis Theologicae Zagrabiensis. Nescimus utrum cum eadem praxi continuare possimus in casu associationis cum alia Universitate; quaestio soluta esse deberet – uti videtur – cum Universitate Zagrabiensi; si nempe possibile sit ut Facultas huius Universitatis modo ordinario concedat diplomata entibus aliae Universitatis. Aliter res se habet si Schola Theologica velit incorporari in Universitatem Osijek tamquam Facultas Theologica. In hoc casu res pro foro ecclesiastico ordinanda esset cum Sancta Sede respiciendo in omnibus proceduram quae a Sancta Sede praescripta est pro fundatione Facultatis theologiae.

Die 11 Aprilis 1992 in ordinaria Sessione Consilii Facultatis prodecanus dr Kolarić in conscientiam invocatur problematicam delicatam Institutorum Facultatis relate ad incorporationem in Universitatem. Universitas accipit Facultatem in eius realitate hodierna, ergo cum Institutis. De principio, id confirmatur in textu proposito Conventionis. Sed, tota Universitas Zagrabiensis habet nunc 9 Instituta, Facultas vero Theologica sola habet 8! Disproportio est evidens! Praeterea, criteria in Universitate pro nomine »institutum« talia sunt ut nostra Instituta vix his criteriis satisfaciant. Illa instituta sunt primarie scientifico–investigativa et logica interna quaerit ut effectus scientificos praesentare debeant. Nostrum Institutum historicum, e.gr., est essentialiter investigativum, et sic videtur pro hoc Instituto talem terminum retinendum esse. Sed nonnulla Instituta, uti Institutum pro cultura theologica laicorum aut Institutum Catecheticum aut Institutum pro musica ecclesiastica essentialiter sunt scholae, tradunt scientiam et offerunt possibilitatem aquirendae peritiae, non exercent scientificam investigationem. Saltem appellatio istorum omnino mutanda est et concordanda per analogiam cum realitatibus similibus in Universitate. In textu Conventionis determinatur hanc concordantiam faciendam esse saltem ad tempus quando nova lex universitaria vigorem suscipiet. Sed evidenter, talis concordatio facienda est quanto citius ut evitentur aequivocationes non necessariae et molestae. Evidenter, hic labor incumbit ipsis Institutis, ut singuli locum adequatum in systemate universitario inveniant. Consilium rogatur

prodecanum dr Kolarić ut etiam ipse Institutis in adequatis solutionibus quaerendis et Consilio Facultatis ad decidendum proponendis suum adiutorium libenter praestet ineundo colloquia cum respectivis autoritatibus in Universitate et variis Facultatibus.

Die 25 Aprilis 1992, instante Consilio Facultatis in Sessione 11 Aprilis, prodecanus dr J. Kolarić mittit Conferentiae Episcopali Croatiae praeparatum textum (cum versione italica) Conventionis (Contractus) Facultatis Theologicae cum Universitate Zagrabiensi (Cf. Documentum XII), cum precibus ut textus approbetur. In precibus explicatur: Hoc contractu (Conventione) »nullatenus in discrimen vocatur natura ecclesiastica Facultatis, neque correspondentes competentiae respectivarum auctoritatum ecclesiasticarum (cf. Contratto, art. 4,5), neque creatur qualicumque novus status quem Facultas prius non habuerit, sed Facultas Theologica Catholica Zagrabiensis tantummodo redintegratur in statum pristinum et denuo acquirit id quod illegali auppessione ipsi iniuste ademptum fuit, tali modo ut ei agnoscat etiam evolutio quam hucusque de facto obtinuit«.

Die 1 Maii 1992 Praeses Conferentiae Episcopalis Franjo card. Kuharić certiore facit Decanatum Facultatis textum Conventionis Facultatis cum Universitate Zagrabiensi discussum esse in coadunatione Episcoporum Croaticorum die 29 Aprilis 1992. Episcopi non habent difficultatem circa textum, excepta animadversione facta ab Ordinariis Rijeka et Split qui desiderant maiorem claritatem circa iura quae ex Conventione sequuntur pro eorum Theologiis Facultati affiliatis. Desiderant ut in textum inseratur explicita mentio de agnitione Institutorum quae apud istas Scholas existunt necnon ut in determinatione circa agnitionem omnium consequentiarum in foro civili iuridico explicite scribatur »incluso oeconomico«. Cardinalis commendat Facultati ut quamprimum convocentur Rectores Theologiarum Rijeka et Split, qui id instanter petunt, sed etiam forse Đakovo, ad colloquium in Facultate. Ordinarius enim archidioecesis Rijeka mons. dr Anton Tamarut rogabat iam die 25 Martii 1992 a Cardinali ut Facultas talem sessionem Rectorum convocaret. De petitione discutiebatur in Sessione Consilii Facultatis die 11 Aprilis 1992. Consilium iudicabat id in his circumstantiis bellicis, vix effectuari posse, praeterea non esse necessarium, cum status Scholarum affiliatarum relate ad id quod iis institutio affiliationis iuxta legem ecclesiasticam dat, in textu proposito Conventionis sufficienter affirmetur.

Decanus Šagi-Bunić **die 4 Maii 1992** conscripsit »Explanationem circa textum Conventionis inter Universitatem Zagrabiensem in quantum refertur ad statum Facultati affiliatarum Altarum Scholarum Theologicarum« (3 paginae), quae transmissa est omnibus Scholis affiliatis, Ordinariis istarum Scholarum, Magno Cancellario, Conferentiae Episcopali, Nuntiaturae apostolicae, Rectoratui Universitatis. Šagi-Bunić putat insertionem additionum memoratarum non esse necessariam, cum iam in textu agnitione validitatis omnium iuxta praescripta ecclesiastica in Facultatem introductorum sufficienter etiam ista implicite affirmata sint. Connexio oeconomica Scholarum affiliatarum cum Facultate non est fundata in legislatione ecclesiastica. Quaestiones oeconomicae hoc sensu moveri poterunt pro ulteriore sustentatione Scholarum si per legislationem civilem vigentem, aut in posterum introducendam analogae Scholae associatae Universitati ab aerario sustentantur. Possibilitas pro pensione professorum quaerenda est sed non videtur in textum Conventionis haec quaestio inserenda quia nondum fundamentum firum iuridicum invenire potuimus; Scholae querant tale fundamentum; in circulis respectivis civilibus bona voluntas non deficit – etiam ad omnes sacerdotes quod

attinet. Quoad Instituta, illa in Facultate fundantur in Statutis Facultatis; Instituta apud Scholas affiliatas non sunt fundata a Facultate nec reguntur iuxta praescriptiones Statutorum Facultatis. Šagi-Bunić tamquam basim pro iis quae legitime a Facultate tamquam integralis pars suae actualis realitatis sustineri possint: »Deus scientiarum Dominus«, »Normae quaedam«, »Sapientia christiana«, necnon Statuta Facultatis. Die 8 Maii 1992 archiepiscopus dr Tamarut insistit in convocatione Rectorum pro colloquio in Facultate et sublineat: »Nos desideramus ut Instituta apud nostras Scholas eosdem effectus habeant quos habent Instituta apud Facultatem in Zagreb. Nos tenemus quod omnes institutiones scholasticae sustentantur ex unico communi fundo (aerario) Reipublicae. Putamus talem sustentationem financiarum Scholarum affiliatarum facilius obtineri posse si praesententur sub titulo Facultatis Zagradiensis«. Proinde Facultas die 12 Maii 1992 tenet colloquium Zagrabiae cum repraesentantibus Theologiarum affiliatarum (Đakovo, Rijeka, Split) in quo ista problematica exhaustively discussa est; partim colloquio praesens erat etiam Secretarius Universitatis Zagradiensis d. Stjepan Lice, qui necessarias informationes praesentibus communicavit, qui vero partes essentielles habuit ex parte Universitatis in conficiendo textu proposito pro Conventione. Conclusiones colloquii: »1. Participantes putant nihil obstare quominus accedatur ad subscriptionem textus propositi Conventionis. 2. Participantes putant quod, Conventione subscripta, necessarium sit ut competentes auctoritates ecclesiasticae simul cum Facultate Theologica Catholica Zagradiensi moveant gressus apud competentes auctoritates civiles: a/ pro realisatione sustentationis financiarum Scholarum affiliatarum; b/ pro regulatione status Institutorum ab istis Scholis fundatorum; c/ pro solutione positiva status professorum relate ad pensionem«. Quaestio circa statum Institutorum apud Scholas affiliatas specialis est momenti relate ad memoratam qualificationem sororum catechistarum assequendam. Praeses Conferentiae Episcopalis Croatiae, qui et Magnus Cancellarius Facultatis, Franjo card. Kuharić die 9 Maii 1992 subscribit documentum approbationis huius tenoris: »Cum Schema Contractus (Conventionis) Facultatis Theologicae Catholicae Zagradiensis cum Universitate Zagradiensi sufficienter in tuto ponat iura Facultatis necnon Scholarum Facultati Theologicae Catholicae affiliatarum, quae iuxta Ius ecclesiasticum habent, hisce textus schematis Contractus approbatur, cum animadversione contractum indigere etiam approbatione Congregationis pro institutione catholica«.

Sic omnia parata sunt ut haec approbatio a Congregatione pro institutione catholica humiliter petatur.

Die 1 Iunii 1992, petente Rectore Universitatis prof. dr Marijan Šunjić et Praeside Congregationis (Assemblea) Universitatis prof. dr Jure Radić, fit sollemnitas pro conclusionem anni academici »Te Deum laudamus« in ecclesia s. Catharinae, quae olim fuerat ecclesia academica (ante 1952) cum ordinaria missa dominicali pro universitariis et contione pro qua habebatur officialis »concionator universitarius« (unus ex professoribus Facultatis Theologicae). Missae concelebrae praesidet Magnus Cancellarius Cardinalis Kuharić, qui etiam sermonem dicit. Ista die Universitas celebrat »Diem academicum«; celebratio ecclesiastica sumitur tamquam initium omnium celebrationum in Universitate.

DESCRIPTIO STATISTICA

Facultatis Theologicae Universitatis Zagradiensis in momento Conventionis (Contractus) cum Universitate Zagradiensi subscribendae

Status personalis totalis (inclusis Institutis et Scholis affiliatis, non exclusa Theologia franciscana Sarajevo cuius affiliatio est in cursu).

Docentes: 243 iuxta officia exequenda; effective: 161, quia 84 docent simul in duobus aut tribus locis; **Officiales:** 19 actu existentes; **Studentes:** 2119, ex quibus 396 extraordinarii; plus 134 qui student Theologiae per correspondentiam (numerus totalis qui cursum peregerunt: 1770); Studentes clerici sunt 538, quorum religiosi 237 (plus 1 laicus religiosus); Sorores religiosae inscriptae sunt 217, aspirantes 15 (deest statistica circa Theologiam per correspondentiam); Studentes laici sunt 1255, ex quibus auditrices sunt 749.

FACULTAS THEOLOGICA ZAGRABIENSIS SENSU STRICTO

Decanus pro anno acad. 1992/93: Prof. dr Juraj Kolarić; Prodecanus: Prof. dr Matija Berljak; **Docentes:** 34 (Proff. ord. 9; extraord. 5; docentes univ. 5; docentes simpl. 3; assistentes: 7; honorarii: 5); **Officiales:** 4; **Studentes** sunt 422 (quorum 2 extraordinarii per specialem permissionem Congregationis); clerici 313 (quorum 108 religiosi); religiosae 12; laici 97 (38 auditrices).

INSTITUTUM CATECHETICUM: Praeses dr Antun Škvorčević; **Docentes:** 23; **Officiales:** 1; **Studentes** sunt 318 (extraord. 180), ex quibus religiosae 63 (plus 6 postulantes), laici 247 (auditrices 182).

INSTITUTUM PRO MUSICA ECCLESIASTICA: Praeses M^o Izak Špralja; **Docentes:** 25; **Officiales:** 1; **Studentes** 156 (extraord. 50), ex quibus clerici 13, religiosae 53, laici 90 (feminae 66).

INSTITUTUM PRO CULTURA THEOLOGICA LAICORUM: Praeses dr Tomislav Zdenko Tenšek; **Docentes:** 18; **Officiales:** 1; **Studentes** 340 (extraord. 164), religiosae 18, laici 322 (feminae 216).

INSTITUTUM PRO SPIRITUALITATE CHRISTIANA: Praeses dr Jakov Mamić; **Docentes:** 23; **Officiales:** 1; **Studentes** 55, ex quibus religiosi 3, religiosae 24 (plus 9 aspirantes), laici 10 (feminae 8).

Adnotationes: Docentes in Facultate simul cum Institutis nominaliter deberent esse 121; de facto sunt 39 qui salarium nunc iam ex aerario publico accipiunt simul cum 8 officialibus (4 in Facultate ipsa). Disproportio inter personas quae actu labores exequentur et ambitum laborum evidens est, tum quod ad docentes tum quod ad officiales attinet!

In Facultate existunt praeterea Instituta quae nunc non tenent scholas ordinarias: **Institutum historiae ecclesiasticae** (praeses dr Franjo Šanjek), **Institutum mariologicum croaticum** (praeses dr Adalbert Rebić), **Institutum pro pastoralibus biblicis** (praeses dr Jerko Fućak), **Institutum pro theologia oecumena et pro dialogo** (praeses dr Ivan Golub) qui habet duas sectiones: **Sectionem orientalem** (dr Ivan Golub) et **Sectionem pro glagolismo croatico** (dr Petar Bašić). Quaestio de sustentatione istorum usque nunc quasi nec tacta est. Post Conventionem subscriptam evidenter res systematisari debebunt iuxta usum in Universitate vigentes.

ALTA SCHOLA THEOLOGICA ĐAKOVO: Rector dr Pero Aračić; **Docentes:** 18; **Officiales:** 4; **Studentes** 50, ex quibus clerici 38, laici 12 (auditrices 6). Apud hanc Scholam agit *Institutum pro theologica cultura laicorum in Osijek*: studentes 68, ex quibus religiosae 9. Caeteri sunt laici (feminae 22).

ALTA THEOLOGIA FRANCISCANA MAKARSKA: Rector dr Dušan Moro; **Docentes:** 17; **Studentes** 55, omnes clerici religiosi.

ALTA SCHOLA THEOLOGICA RIJEKA: Rector Doc. dr Mile Bogović; **Docentes:** 18; **Officiales:** 3; **Studentes** 26, ex quibus clerici 22 (religiosi 3), laici 4. *Institutum pro theologica cultura laicorum eiusdem Scholae*: studentes laici 78 (feminae 39).

ALTA SCHOLA THEOLOGICA SARAJEVO: Rector dr Pero Sudar; **Docentes:** 26; **Studentes** 69 (omnes clerici).

THEOLOGIA FRANCISCANA SARAJEVO: Rector dr Ivan Bubalo; **Docentes:** 19; **Studentes** 72 (omnes clerici religiosi).

THEOLOGIA IN SPLIT: Praeses dr P. Josip Marčelić; **Docentes:** 22; **Officiales:** 4; **Studentes** 50, quorum 48 sunt clerici et 2 auditores laici. Apud hanc Scholam agit *Institutum pro theologica cultura laicorum*: Praeses dr Petar Zdravko Blajić; **studentes** 120, ex quibus 20 sunt religiosae, laici 100 (auditrices 80). Apud eandem Scholam agit *Cursus intensivus theologico-catecheticus*: Director dr Marin Škarica; **studentes** 240, ex quibus religiosae 18, laici 222 (feminae 192).

Facultas Theologica publicat Commentarios periodicos »Bogoslovska smotra« (Ephemerides Theologicae Zagrabienses; prodit ab anno 1910, cum interruptionibus). Institutum historiae ecclesiasticae edit »Croatica christiana periodica«. Institutum pro musica ecclesiastica edit periodicum »Sveta Cecilija«. Studentes Facultatis publicant suum periodicum »Spectrum«. Schola affiliata in Split curat editionem periodici »Crkva u svijetu« (Ecclesia in mundo). Professores Scholae affiliatae Đakovo active curant circa periodicum »Vjesnik Đakovačke biskupije« (Nuntius dioecesis Đakovo). Theologia Franciscana Makarska curat periodicum »Kačić« necnon periodicum liturgico-pastorale »Služba Božja« (Ministerium divinum). Apud Theologiam Franciscanam Sarajevo prodit periodicum »Nova et vetera« et periodicum studentium »Jukić«. Professores Scholae affiliatae Rijeka activi sunt in redigendo periodico homiletico »Riječ Božja« (Verbum Dei). Apud Scholam Theologicam archidioecesanam Sarajevo prodit »Vrelo života« (Fons vitae), periodicum pro spiritualitate sacerdotali; studentes publicant suum periodicum »Teolog«.

Zagreb, 23 Iunii 1992

Decanus Facultatis:
Dr. Tomislav J. Šagi-Bunić

Documentum I

POPULARIS RESPUBLICA CROATIA
CONSILIUM PRO INSTRUCTIONE PUBLICA, SCIENTIA ET CULTURA
COMMISSIO PRO ALTIS SCHOLIS ET INSTITUTIONIBUS SCIENTIFICIS

Hisce allegata transmittitur copia verificata Decreti Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae de suppressione Facultatis Theologicae Romano-Catholicae Universitatis Zagradiensis nrus 1268/52 de 29 Ianuarii 1952 anni.

Mors fascismo – libertas populo!

Zagrabiae die 31 Ianuarii 1952 a.

L.S.

Coadiutor Ministri

J. Lukatela

Copia

Cum fundamento in art. 80 Constitutionis Popularis Reipublicae Croatiae, propo-
nente vero Ministro–praeside Consilii pro publica instructione, scientia et cultura
Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae affert

DECRETUM

de suppressione Facultatis Theologicae Romano-Catholicae Universitatis Zagra-
biensis.

I. Supprimatur Facultas Theologica Romano-Catholica Universitatis Zagradiensis.

II. Ordinationes praecisiores de executione huius decreti ferendae sunt a Mini-
stro–praeside Consilii pro instructione publica, scientia et cultura.

III. Hoc decretum vigorem suscipit statim.

Nrus 1268 Praeses Gubernii

Zagreb, 29 Ianuarii 1952 Popularis Reipublicae Croatiae

Dr Bakarić Minister Praeses Consilii
pro instructione publica, scientia et cultura
Dr Miloš Žanko

Hanc copiam fidelem esse cum suo originali – verificat

Praepositus Cancellariae:

L.S. Subscriptio illegibilis

Dokument I.

NARODNA REPUBLIKA HRVATSKA
SAVJET ZA PROSVJETU, NAUKU I KULTURU
Odbor za visoke škole
i naučne ustanove

Broj: 1995/1952

DEKANATU
RKT. BOGOSLOVSKOM FAKULTETU

Zagreb

U prilogu dostavlja se ovjerovljeni prepis rješenja Vlade NR Hrvatske o ukidanju Rkt. bogoslovskog fakulteta Sveučilišta u Zagrebu broj 1268/52 od 29. siječnja 1952. god.

Smrt fašizmu – Sloboda narodu!
U Zagrebu dne 31. siječnja 1952. g.

POMOĆNIK MINISTRA:
J. LUKATELA

Na temelju člana 80 Ustava Narodne Republike Hrvatske, a na prijedlog ministra-predsjednika Savjeta za prosvjetu, nauku i kulturu Vlade Narodne Republike Hrvatske donosi

RJEŠENJE

o ukidanju Rkt. bogoslovskog fakulteta Sveučilišta u Zagrebu.

I. Ukida se Rkt. bogoslovski fakultet Sveučilišta u Zagrebu.

II. Bliže odredbe o sprovođenju ovog rješenja donijet će ministar-predsjednik Savjeta za prosvjetu, nauku i kulturu.

III. Ovo rješenje stupa na snagu odmah.

Broj: 1268

Zagreb, 29. siječnja 1952.

PREDSJEDNIK VLADE
NARODNE REPUBLIKE HRVATSKE:
Dr. Bakarić, s.r.

MINISTAR PREDSJEDNIK
SAVJETA ZA PROSVJETU, NAUKU
I KULTURU NR HRVATSKE:
Dr. M. Žanko, s.r.

Da je prepis vjeran svome originalu – ovjerava:
Šef kancelarije:
potpis nečitljiv

(M.P.)

Da je ovaj prepis vjeran svom izvorniku tvrdi i ovjerava

U Zagrebu, dne 8. II. 1952.
Dragutin Štingl

Documentum II

PROTOCOLLUM

II Sessionis extraordinariae Consilii Facultatis Theologicae

Universitatis Zagrabienensis die 1 Februarii 1952 habitae

Praesentes: Dr Keilbach, dr Gračanin, dr Živković, dr Bakšić, dr Kniewald, dr Oberški, dr Pavić, dr Lah, dr Škrebliin.

Absens: Dr Cvitanović.

Praesidet: Decanus prof. dr Vilim Keilbach

Adnotat: dr Ivan Škrebliin

Decanus aperit Sessionem hora 19 et communicat se hodie hora 14 accepisse rescriptum Commissionis pro altis scholis et scientificis institutionibus Consilii pro instructione publica, scientia et cultura de 31 Ianuarii 1952 numerus 1995/52, quo defertur copia verificata Decreti Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae de suppressione Facultatis Theologicae RC Zagrabienensis nrus 1268/52 de 29 Ianuarii 1952.

Decanus legit hoc Decretum nrus 1268/52 de suppressione Facultatis Theologicae Romano-Catholicae Zagrabienensis.

Decanus deinde communicat quod pro omnibus singulis profes-soribus et docentibus partim 31 Ianuarii, partim vero 1 Februarii 1952, advenirent copiae verificate decretorum Commissionis pro altis scholis et scientificis institutionibus, quibus a munere dimittuntur cum die 1 Februarii 1952 cum termino dimissionario unius mensis, et quidem ita ut absolutio ab officio sequatur die 1 Februarii 1952 anni: hac die munus omnium cessat, etiam ipsius decani. Omnes aliae personae officiales translocantur in Consilium pro instructione publica, scientia et cultura.

Relate ad suppressionem Facultatis Theologicae, Decanus declarat, a domino Ministro dre Žanko die 28 Ianuarii 1952 sibi declaratum fuisse, quod Statui Facultas Theologica amplius non interesset: ineundo aestivo semestri Status amplius nullas obligationes habitura est erga Facultatem Theologicam; in posterum Facultas Theologica cum activitate continuare posset tamquam "Facultas ecclesiastica" vel aliter, sed Gubernio id amplius non interesset; omnes personae laborantes in Facultate salarium adhuc prima Februarii accepturae essent; particularitates technicae circa negotia ad finem perducenda communicarentur una cum Decreto de "exclusionem Facultatis Theologicae ex structura Universitatis"; tandem, quoad professores, qui possident condiciones praerequisitas pro pensione, in pensionem ponendi essent; Status expleturus esset erga omnes officiales omnes obligationes quae ex praescriptis legis sequuntur.

Ad absolutiones ab officio quod attinet, Decanus communicat se hodie ante meridiem hora 9 visitavisse coadiutorem Ministri J. Lukatela ut cum eo pertractaret quaestionem circa absolutiones ab officio professorum et caeterorum officialium. Decanus d. coadiutorem Ministri attentum fecit quod studentes non possent examina facere ex disciplinis quas frequentabant in semestri hiemnali, quod Decanatus non posset semestrum attestari, si professores statim ab officio absoluti essent. Praeterea, ipse Minister dr Žanko die 28 Ianuarii 1952 oraliter Decano anuntiavit,

Dokument II.

ZAPISNIK

II. izvanredne sjednice Vijeća bogoslovskog fakulteta Sveučilišta u Zagrebu, održane dne 1. veljače 1952.

Prisutni: Dr Keilbach, dr Gračanin, dr Živković, dr Bakšić, dr Kniewald, dr Oberški, dr Pavić, dr Gahs, dr Lah, dr Škrebilin.

Odsutni: Dr Cvitanović.

Predsjedatelj: Dekan prof dr Vilim Keilbach

Bilježitelj: dr Ivan Škrebilin

Dekan otvara sjednicu u 19 sati i saopćuje, da je danas u 14 sati primio dopis Odbora za visoke škole i naučne ustanove Savjeta za prosvjetu, nauku i kulturu od 31. I. 1952 br. 1995/52, kojim se dostavlja ovjerovljeni prijepis rješenja vlade NRH o ukidanju Rkt. bogoslovskog fakulteta u Zagrebu. br. 1268/52 od 29. I. 1952.

Dekan čita to rješenje br. 1268/52 o ukidanju Rkt. bogoslovskog fakulteta u Zagrebu.

Dekan nakon toga saopćuje, da su za sve pojedine profesore i nastavnike stigli dijelom 31. I. 1952, a dijelom 1. II. 1952 ovjerovljeni prijepisi odluka Odbora za visoke škole i naučne ustanove, kojima se otkazuje služba danom 1. veljače 1952 uz otkazni rok od mjesec dana s time, da razrješenje od dužnosti treba da uslijedi danom 1. veljače 1952. godine i da toga dana prestaje služba svima, pa i samom dekanu. Sve drugo službeno osoblje premješteno je u Savjet za prosvjetu, nauku i kulturu.

Što se tiče ukidanja Bogoslovskog fakulteta, dekan izjavljuje, da mu je g. ministar dr Žanko dne 28. siječnja 1952 izjavio, da država nije više interesirana na Bogoslovskom fakultetu i da počevši od ljetnog semestra država više ne će imati nikakvih obveza prema bogoslovskom fakultetu; nadalje da bogoslovski fakultet može nastaviti radom kao »crkveni fakultet« ili drukčije, ali da to vladu više ne interesira; da će sve osoblje bogoslovskog fakulteta još dobiti plaću prvog veljače, a da će tehničke pojedinosti glede svršavanja poslova biti priopćene fakultetu zajedno s rješenjem o »izdvajanju bogoslovskog fakulteta iz sklopa sveučilišta«; i konačno, da će profesori, koji imaju uvjete za mirovinu, biti umirovljeni, i da će država prema svim službenicima ispuniti sve obveze na temelju zakonskih propisa.

Što se tiče razrješenja od dužnosti, dekan saopćuje, da je danas prije podne u devet sati posjetio g. pomoćnika ministra J. Lukatelu, da s njim raspravi pitanje razrješenja od dužnosti profesora i ostalih službenika. Dekan je upozorio g. pomoćnika ministra, da studenti neće moći polagati ispite iz predmeta, koje su slušali u zimskom semestru, a da i dekanat neće moći testirati semestar, ako profesori budu odmah razriješeni od dužnosti. Osim toga, da je i sam g. ministar dr Žanko dne 28. I. 1952 usmeno izjavio dekanu, da »izdvajanje bogoslovskog fakul-

quod "exclusio Facultatis Theologicae ex structura Universitatis" hanc consequentiam haberet ut Facultas Theologica deponeretur ex "budget" statali (aerario). Proinde inscriptio in semestre aestivum iam non haberetur. Quapropter ex ista declaratione Ministri sequeretur quod semestre hiemale normaliter ad finem perducere posset. Coadiutor Ministri tunc ex suo spatio officiali exiit ut solus cum Ministro colloqueretur Reversus communicavit Decano quod Facultas Theologica poterit mense Februario omnia sua negotia et examina peragere; dimissiones factae sunt cum tanta celeritate solummodo ideo ut die prima Februarii dimissiones datae esse possent omnibus officialibus. In cursu colloquii coadiutor Ministri agnoscit istas dimissiones esse omnino stereotipatas "cum termino dimissionario unius mensis". Ast extollit omnia postea suppletorie in ordinem deducenda in observatione iurium singulorum cum fundamento in annis muneris aut aetatis. Decanus insimul invitatur ut decursu dierum sequentium interponat proprias propositiones concretas quo modo tota res ordinanda sit. Tandem, Decanus declarat nunc in Sessione tradenda esse decreta dimissionis singulis professoribus et docentibus. Discussionem peracta, Consilium Facultatis voto unanimi decernit:

I.

Decretum de suppressione Facultatis Theologicae Romano-Catholicae Zagrabien-sis de 29 Ianuarii 1952 numerus 1268/52 remittatur Commissioni pro altis scholis et scientificis institutionibus, quia ex toto decreto non apparet quis est ille qui revera hoc decretum tulit, utrum Praeses Gubernii, cuius nomen in fine decreti notatum est, an forsitan etiam ipsum Gubernium Popularis Reipublicae Croatiae, cum in introductionem decreti aliquis error irreperit;

II.

Pariter, Commissioni pro altis scholis et scientificis institutionibus remittantur omnia decreta de dimissione professorum et docentium a munere propterea quod in maxima parte istorum decretorum inveniuntur retractationes verborum duplici atramento, et quidem ita ut ex decreto non appareat a quo et ex cuius mandato istae correctiones factae sint, dum caetera decreta invocant decretum "Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae" nr. 1268/52, ast pro ipso isto decreto sub nro 1268/52 clarum non est a quo latum sit, utrum a praeside Gubernii an a Gubernio Popularis Reipublicae Croatiae, quia huc non est communicatum in forma fide digna, uti diximus sub I.

Ratione omnium istorum defectuum formalium, et quia agitur de acto maximi momenti pro ipsa institutione Facultatis Theologicae sicuti etiam de documentis magni momenti pro relationibus quoad officium et iura singulorum officialium, Consilium Facultatis concludit sibi impossibilem esse acceptationem delationis istorum decretorum de suppressione Facultatis Theologicae Romano-Catholicae et de dimissionibus a munere in ista forma.

III.

Commissioni pro altis scholis et scientificis institutionibus interponatur petitio, ut Decretum de suppressione Facultatis Theologicae nrus 1268/52 extra vigorem ponatur, et quidem ex rationibus sequentibus:

teta iz sklopa Sveučilišta« ima tu posljedicu, da se bogoslovski fakultet skida s državnog budžeta i da stoga više ne će biti upisa u ljetni semestar, pak da bi se iz ove ministrove izjave moglo zaključiti, da će zimski semestar normalno završiti svoj rad. Pomoćnik ministra je na to izašao iz svoje uredovne sobe, da sam razgovara s g. ministrom. Vrativši se saopćio je dekanu, da bogoslovski fakultet može u veljači svršavati sve svoje poslove i ispite, da su otkazi uslijedili tom brzinom samo zato, da bi prvog veljače mogli biti uručeni otkazi svim službenicima. Za vrijeme tog razgovora pomoćnik je ministra uvidio, da su otkazi sasvim »šablonski« s otkaznim rokom od mjesec dana, ali je naglasio, da će se naknadno sve urediti prema pravima pojedinaca na temelju godina službe odnosno starosti. Dekan je ujedno bio pozvan, da u tijeku idućih dana podnese svoje konkretne prijedloge o uređenju čitave stvari.

Konačno dekan izjavljuje, da će sada na sjednici uručiti rješenje o otkazu službe pojedinim profesorima i nastavnicima.

Fakultetsko je vijeće nakon diskusije jednoglasno zaključilo:

I.

da se rješenje o ukidanju Rkt. bogoslovske fakulteta u Zagrebu od 29. I. 1952 br. 1268/52 vrati Odboru za visoke škole i naučne ustanove s razloga, jer se iz cijeloga rješenja ne vidi, tko je zapravo donio to rješenje, da li predsjednik Vlade, čije je ime naznačeno ispod rješenja, ili možda i sama Vlada NRH, jer se u uvod rješenja uvukla neka pogreška;

II.

da se isto tako povrate Odboru za visoke škole i naučne ustanove sva rješenja o otkazu službe profesorima i nastavnicima s razloga, jer se u većini tih rješenja nalaze precrtavanja riječi dvostrukom tintom, a da se iz rješenja ne vidi, tko je učinio te ispravke i po čijem ovlaštenju, dok se preostala rješenja pozivaju na rješenje »Vlade NRH« br. 1268/52, a za samo to rješenje pod br. 1268/52 nije jasno, tko ga je donio, da li predsjednik Vlade ili Vlada NRH, jer nije ovamo priopćeno u vjerodostojnom obliku, kako je navedeno pod I.

Zbog svih tih formalnih nedostataka, i jer se radi o vrlo važnom aktu za samu ustanovu bogoslovske fakulteta kao i o važnim ispravama za službovne odnose i prava pojedinih službenika, fakultetsko vijeće zaključuje, da ne može primiti dostavu tih rješenja o ukidanju Rkt. bogoslovske fakulteta i o otkazima službe u tom obliku.

III.

da se tim povodom podnese Odboru za visoke škole i naučne ustanove predstava, da se rješenje o ukidanju Rkt. bogoslovske fakulteta broj 1268/52 stavi izvan snage s ovih razloga:

Hoc decretum in sua introductione invocat articulum 80 Constitutionis Popularis Reipublicae Croatiae. In quo articulo Constitutionis generaliter enumerantur determinata negotia quae submittuntur competentiae ipsius Gubernii Popularis Reipublicae Croatiae. Articulus 80 Constitutionis Popularis Reipublicae Croatiae sonat: "Gubernium Popularis Reipublicae Croatiae dirigit et concordat activitatem suorum Ministeriorum, Commissionum et Comitatum, prouti etiam aliarum Institutionum quae ei submissae sunt. Gubernium Popularis Reipublicae Croatiae curat circa praeparationem et realisationem plani (piano) oeconomici statalis generalis necnon republicani et budgeti; assumit gressus necessarios pro tuitione et conservatione ordinis constitutionalis et socialis, pro protectione eorum quae intersunt Statui et pro protectione iurium civium; solutiones fert circa proposita legum a singulis membris Gubernii data quae interponuntur Parlamento, praescribit ordinationem internam Ministeriorum et institutionum subordinatarum, fundat in casu necessitatis speciales comitatus, Commissiones et institutiones apud Gubernium Popularis Reipublicae Croatiae in scopum executionis negotiorum oeconomicorum, culturalium et aliorum Popularis Reipublicae Croatiae; adiutorium praestat Gubernio Foederativae Popularis Reipublicae Jugoslaviae in realisandis obligationibus statalibus communibus". In hoc praescripto Constitutionis, recte interpretato, non invenitur mandatum datum Gubernio Popularis Reipublicae Croatiae ut illa possit suppressere Facultatem Theologicam Romano-Catholicam Zagrabiensem.

Facultas Theologica Romano-Catholica Zagrabiensis fundata est per articulum legis Parlamenti Croatici de die 8 Aprilis 1869 de fundatione Universitatis Zagrabiensis. In basi istius articuli legis, speciali articulo legis Parlamenti Croatici diei 5 Ianuarii 1874 de constitutione Universitatis Zagrabiensis ista Universitas in vitam deducta est, simul tamquam eius pars integralis constituta est etiam Facultas Theologica Romano-Catholica Zagrabiensis.

In lucta saeculari pro Universitate proprie Facultas Theologica "choriphaei" erat. Illa est inter vetustiores institutiones altas scientificas in tota natione croatica.

Respiciendo ista facta maximi momenti pro historia culturali nationis croaticae, etiam si aliae rationes momentosae omittantur, Consilium Facultatis unanimiter putat Facultatem Theologicam Romano-Catholicam Zagrabiensem potuisse iuridice valide suppressi solummodo corespectivo actu legislativo, sicuti lege fuerat fundata et lege pariter constituta.

Si nuper Gubernium Popularis Reipublicae Croatiae et Parlamentum Croatiae putabant quaestionem de scholis elementaribus lege ordinandam esse, tunc pro suppressione supremae institutionis scientificae, uti est Facultas, ferenda erat lex.

